




Date Due

7 Jun '63			



CAT. NO. 23 233 PRINTED IN U.S.A.

PHAEDRIANA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICO-GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

ALFREDUS TACKE

BEROLINENSIS

PROMOTIO HABEBITUR DIE 12. EMNS. AUG. A. 1911.

I pr 4

In prologo libri I. Phaedrus de se fabellisque haec dicit:

1 *Aesopus auctor quam materiam repperit,*
hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est, quod risum movet
*4 *et quod prudentis vitam consilio monet.*

Sed editores vulgo ponunt v. 4. *prudenti* pro *prudentis*, ita ut coniungatur *prudenti consilio*, auctore Iano Gebhardo (a. 1615.[1]). Ut philologi quidam minorum gentium coniecturae ab omnibus probatae repugnare ausi sunt — Grunerus (a. 1745.[2]), Gailius (a. 1796.[3] et in ed. a. 1826.), Desbillonius[4], CWNauckius (a. 1855. in ed.), — ita nunc ut olim legitur *prudenti*; quam coniecturam primum legenti cum necessariam non esse mihi apparuerit, fac Muelleri adnotationem, ad quam Havetus proprie allegat, deliberemus:

[1] „litteram“ inquit (vide Hav. p. X.) „extritam velim, hoc modo:
et quod prudenti vitam consilio monet
Arrogantissima est vulgata lectio quasi Phaedrus iactaret prudentis sive sapientis vitam suo posse consilio fulciri atque iuvari, cui tamen illud ubertim domi nascitur neque foris opus est petere“. Deinde duos locos Ciceronianos citat, quorum priorem (alter nullius momenti est) ex memoria falso exhibet; quo verbo nititur *(prudenti)*, id ibi (Phil. 7,7/19) re vera omnino non legitur. Tali viro per tria saecula editores alius post alium manus dederunt. Neque emendatio melior fit, eo quod iam paulo ante Gebhardum Bongarsius (mort. a. 1612. sec. Hav. p. X.) eam margini exemplaris sui adscripsit.

[2] is *prudentis* recte se habere exposuit, quod *prudens* sit perspicax, qui sententiam et ut ita dicatur τὸ morale fabularum assequi valeat; hanc significationem probat his locis: Don. ad Ter. eun. I 1,27; Ov. her. 21,122. trist. II 544; Nep. Att. 16,4.

[3] in operis quod inscribitur *Les trois fabulistes, Ésope, Phèdre et La Fontaine, par Champfort et Gail* vol. II. p. 166.

[4] in notis a Zellio (a. 1828. in ed.) publici iuris factis. Retinuit *prudentis* etiam Dresslerus (a. 1838. et in ed. min. Teubn. a. 1850.) explicatione non addita.

„prudenti: ita recte docti; nam ut aegroti medico, non sani, ita stulti egent consultore, non prudentes[1]; et imperitis rerum has fabulas destinari ipse saepius testatur Ph.“

Duae sunt causae, cur ***prudentis*** offendere Muellero videatur; earum quam sit iusta una quaeque videamus.

Sani medico non egent, sed aegroti. Recte. Itaque prudentes consultore non egent? Minime de prudentia idem iudicare licet ac de sanitate[2]. Et quod Muellerus ad coniecturam confirmandam placitum Scripturae Sacrae tangit, aliud mihi prae manu est, etiamsi non tam grandem patrem profitetur. In Proverbiis Salomonicis 12,15 secundum versionem LXX interpretum haec leguntur: ὁδοὶ ἀφρόνων ὀρθαὶ ἐνώπιον αὐτῶν, εἰσακούει δὲ συμβουλίας σοφός.

Argumentum Muelleri prius iam nihil valet; proinde ad alterum accedamus.

Ubi poeta apologos imperitis rerum destinari disserit? Doleo, quod ex locis talibus ne unus quidem adscriptus est. Num Muellerus ad hos spectavit:

I 7,3 *hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam*
fortuna tribuit, sensum communem abstulit[3]
14,17 *hoc pertinere vere ad illos dixerim*
quorum stultitia quaestus impudentiae est[4]

---

[1] idem deliberavit Gebhardus (p. 7[1]).

[2] nonne etiam qui vere prudens est tamen errare potest aliquando? Inscius in errore versatur — num irascetur cum animus eo adversus erit a poeta? Minime, si modo praeclarum illud tenebit: ***homo sum, humani nihil a me alienum puto.*** Atqui hominis non est non errare; immo errare humanum est, ut aiunt. At prudentis est libere confiteri, cum erravit, libenterque audire consilia eorum, qui sibi faveant. Etenim

Hes. OD 293 οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ·
295 ἐσθλὸς δ᾽αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δέ κε μήτ᾽ αὐτὸς νοέῃ μήτ᾽ ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ᾽αὖτ᾽ ἀχρήιος ἀνήρ.

[3] hoc distichum respicere opus vix est, quod Phaedrus illo apologo vitam cuiusquam consilio monere non vult.

[4] hos quoque versus omittere forsan mihi licuerit, quod apud Muellerum (nec non apud omnes fere editores) vis versus 18. coniecturis duabus receptis prorsus immutata est; traditur sic:

quorum stultitiae quaestus imprudentia est,

quae verba integra esse infra (p. 24 ss.) demonstrabo.

I 29,1 *plerumque stulti risum dum captant levem,*
gravi destringunt alios contumelia . . .
II 4,25 *quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,*
documentum habere stulta credulitas potest.

Mihi quidem Phaedrum iterum atque iterum pervolventi non contigit, ut alios invenirem locos, qui ad imperitiam lectorum pertinerent. Illis id demonstrari, quod Muellerus contendit, nego. Neque enim ibi poeta loquitur de toto genere fabellarum, id quod eum in I pr facere manifestum est, sed de fabellis singulis. Quae unum alterumve locum exhibet, ad eos homines pertinet, qui tali ratione se stultos praebuerunt. Atque ego cum Muelleri iussu Phaedrum perlustrarem, in versus incidi, quibus plus ponderis inest:

II pr 1 *Exemplis continetur Aesopi genus,*
nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
quam corrigatur error ut mortalium
acuatque sese diligens industria.

His verbis etiam Gebhardus nisus est, ut *prudenti* suaderet, sed iniuria. An non *errorem corrigere* licet apud prudentes quoque (p. 8[2]); quos *diligentem industriam* maxime decere opinor. Similiter

II 5,1 *Est ardalionum quaedam Romae natio . . . .*
5 *Hanc emendare si tamen*[1] *possum volo*
vera fabella; pretium est operae attendere[2] . .

Et nationem ardalionum quis imperitam rerum appellabit!

Plurimum autem valet ad quaestionem disceptandam carminis IV 2 initium, quo de loco iam CWNauckius admonuit:

1 *Ioculare tibi videtur*[3], *et sane leve*
dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nenias:
quantam, subtilis, utilitatem reperies!
5 *Non semper ea sunt, quae videntur; decipit*
frons prima multos: rara mens intellegit,
quod interiore condidit cura angulo.

Cui hoc legenti non in mentem venit prologi libri I. Phaedrus

---

[1] = *ita tamen si* (Schmalzius a. 1909. in Glottae vol. 1. p. 336.)

[2] cf. Enn. *A* 465. *V*[2] et ex eo Hor. s. I 2,37: *audire est operae pretium*.

[3] sc. quod modo fab. 1. narratum est; ceterum de totis versibus scribendis infra (p. 44 ss.) disseram.

aegre fert, quod homines de se ipso et fabellis suis non rectam censuram agant. Iam antea apologum III 12 („de pullo et margarita") hoc epimythio ornaverat:

hoc illis narro, qui me non intellegunt.

Fuerunt igitur, qui poetam nihil agere arbitrarentur nisi ut risum moveret. Ac tamen ut omnes poetae punctum ferre cupiunt *lectorem delectando pariterque monendo*, sic Phaedrus. Quod autem primo obtutu lectorem consilium morale fabellarum fugere atque ideo diligenter intueri opus esse exponit, idem legimus III pr

1 *Phaedri libellos legere si desideras,*
vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
ut liber animus sentiat vim carminis.

A quibus tandem hoc peti potest nisi a prudentibus[1].

Ei loci ad *prudentis* I pr 4 recte interpretandum maxime idonei esse mihi videntur[2]. Quibus respectis non dubito, quin Phaedrus scripserit, quod in codicibus est

Duplex libelli dos est, quod risum movet
et quod prudentis vitam consilio monet,

quos versus memor, quam graviter poeta in IV 2 distinguat inter *ioculare* et *utilitas* sic explico: „Consilium apologorum duplex est: alterum ad effectum perducitur apud omnes qui eos legerunt, alterum apud prudentes tantum[3]; etenim grex ut iocis delectatur ita nihil emendatur, quia mentem occultam non sentit[4]". Voce *prudentis*

---

[1] Gebhardus ipse praecepta prudentiae sub involucris fabularum et in speciem iocularium conclusa esse disserit. Atqui prudentia opus est, ne quid primoribus labris gustetur et extremis, ut aiunt, digitis attingatur. Quae opinio quamvis sit per se consentanea, insuper confirmatur versibus quibusdam Phaedrianis, quos cum extremis verbis loci IV 2,1 ss. mirum in modum concinere etiam CWNauckium non fugit:

A 5,17 *consulto involvit veritatem antiquitas,*
ut sapiens intellegeret, erraret rudis.

[2] plerosque eorum quamquam post I pr scriptos esse constat, verisimillimum est Phaedrum fabellas primum édentem de lecturis haud aliter iudicasse ac postea.

[3] ita ut duabus dotibus duo lectorum genera respondeant.

[4] quae in fabellis Phaedri vitam regunt, ea Vandaeleus collegit (Qua mente Phaeder fabellas scripserit, diss. Paris. a. 1897., p. 88 ss.). Is poetam hoc propositum simulavisse suspicatur (p. 91.), quo melius legentes alliceret; nam sibi persuasit eum nihil egisse apologis ad unum omnibus, nisi ut suos

poeta lectores ad attendendum hortatur; est additamentum quod comparari licet cum formula notissima, quae in Novo Testamento interdum parabolis additur: ὁ ἔχων ὦτα ἀκουέτω[1].

Quod si verum est, iam Grunerus rectum divinavit. Tamen haud inutilis fuerit disputatio mea, qua Phaedrus ex Phaedro illustratur[2].

I 1,12

In fabella, quae est de lupo et agno, secus accidit, quod et qui crimen lupi alterum continet versus claudicat

10 *ante hos sex menses ait male dixisti mihi*

et qui tertium

12 *pater hercle tuus inquit male dixit mihi*

Locum priorem ab Haveto una cum editoribus plerisque recte

ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi

scribi negare non audeo; at in v. 12. sic sanando

pater hercle tuus, ⟨ille⟩ inquit, male dixit mihi

eum iniuria Botheum sequi ostendam. Hoc supplementum non modo haud necessarium, sed supervacaneum, immo falsum est.

ille necessarium non est, quia Phaedrus alterum hominem bestiamve loquentem fingens subiectum omittere minime veretur; cf. haec exempla:

I 2,30 *ait* scil. Aesopus ipse (v. 9.); antea is Iovem verba facientem induxerat.

23,3 *nocturnus cum fur panem misisset cani*
obiecto temtans an cibo posset capi:
„*Heus*“ *inquit* (scil. canis; Botheus iterum emendabat)...

---

inimicos denotaret, illuderet, vulneraret, confoderet. Secundum hanc normam apologos singulos explicans nimius est; modum rectius servat Thieleus p. LXXXV. Atque Phaedrum hanc definitionem generis fabellarum Aesopicarum bipartitam similem satirae non ipsum excogitavisse, quippe quae proposito suo apta esset (Vand. p. 84.), docemur loco Gellii II 29,1, quem Rigaltius adhibuit. Ad risum fabellis movendum cf. auct. ad Herenn. I 6,10.

[1] de hac formula nuperrime egit MDibelius a. 1910. in Stud. et Crit. Theol. vol. 83. p. 461 ss.. Ceterum genus parabolarum apologis propinquum est.

[2] *prudentis* in exemplari Phaedriano suo videtur legisse etiam Avianus (hoc suo iure Grunerus monuit, cum de Romulo erraret), qui in praefatione dicit: *Habes ergo opus, quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudines leves totumque vivendi ordinem* cautus *agnoscas. Loqui vero arbores* . . . .

III 7,26 *inquit* scil. canis. non lupus, qui modo locutus erat.

IV 12,6 (Hercules) *avertit oculos. Causam quaesivit pater*
„Odi“ inquit (scil. Hercules; emendabat Bentleius *ut quaesivit* scribens) . . .

26,11 (Simonides) *mercedis tertiam*
accepit partem. Cum reliquom posceret:
„Illi“ inquit (scil. pycta victor, qui v. 5. nominatus erat atque ibi in casu dativo; miror. quod correctio *ille* pro *illi* non proposita est.) . . .

A 18,16 *„Ergo“ inquit* (scil. Aesopus. non servus alter, qui modo orationem 13 versuum habuit.) . . .

Iam librarii Phaedriani subiectum desideratum I 19,9 falso suppleverunt. Opus est me lectoribus totum apologum ante oculos ponere.

3 *Canis parturiens cum rogasset alteram,*
ut fetum in eius tugurio deponeret,
5 *facile impetravit; dein reposcenti locum*
preces admo[n]vit, tempus exorans breve,
dum firmiores posset catulos ducere.
Hoc quoque consumpto flagitare (-*i* D) *validius*
cubile coepit illa „Si mihi et turbae meae
10 *par“ inquit „esse potueris, cedam loco“.*

Quamvis libenter *illa* v. 9. retineamus, versus laborat et apparet pronomen additum esse (ex 𝔑, Thieleus p. CCXXIV.), ut canem alteram loqui significaretur. Quod Havetus nunc (in Enchiridio critico § 1090) *mihi et* delere mavult quam *illa* (quod falso ad *inquit* trahit, cf. 𝔄(𝔑), oblitus esse mihi videtur interpolationum codicis D harum:

I 11,3 *Venari asello comite cum vellet leo*
contexit illum frutice et admonuit simul
5 *ut* ille (om. Pρ) *insueta voce terreret feras,*
fugientes ipse exciperet

et

18,4 (mulierem parturientem) *vir est hortatus, corpus lecto*
onus naturae melius quo deponeret. [*reciperet,*
Minime inquit illa posse confido loco . . .,

ubi P habet *illo*, quod ad *loco* pertinet, procul dubio recte.

Videmus igitur Phaedrum in personis loquentibus designandis haud ita accuratum fuisse neque est, quod I 1,12 *ille* inseramus[1]. Atque ibi pronomen prorsus supervacaneum est, quoniam praecedente *respondit agnus* v. 11. si additur *inquit*, fieri non potest, quin subiectum mutetur.

Accedit, ut *ille* supplementum certe falsum sit. Etenim Phaedrus non dicit *ille inquit*, sed *inquit ille* (III 7,9; IV 21,11; A 30,5; cf. II 5,21; 7,11; A 10,9).

His de rationibus Haveti textum I 1,12 reicio, etsi non habeo quem proponam meliorem. An Hartmannus iure *ergo* requisivit? Cui supplemento ℜ favere videri potest, qui ordine quaestionum inverso (Thieleus p. 14.) haec exhibet:

(r. g.)	*lupus dixit*	(r. v.)
ergo pater tuus fuit		*ergo et pater tuus fuit*
ante sex menses hic		*hic ante sex menses*
et ita fecit mihi		*qui mihi pari modo fecerat*

Praeter *ergo*[2] in recensione utraque vocem alteram legimus, quae apud Phaedrum deest quaeque facilius excidere potuit: *hic*[3]. Nihil impedit, quominus legamus:

„pater hercle tuus ⟨*hic*⟩*“ inquit „male dixit mihi“*;

certam opinionem dicere non audeo.

I 4

Gottholdus Ephraimius Lessingius, poeta atque litterarum arbiter nostras, a. 1759.[4] Phaedrum compluribus fabellis a memo-

[1] *illa* omisso versus I 19,9 obscurus est, tamen vix obscurior quam qui modo a me congesti sunt versus. Ergo coniecturis abstineamus, quibus 'brevitati Phaedrianae subveniamus (nuper Govius ex *cubile coepit illa* elicuit *ubi illa coepit*, alii prius similiter; an CWNauckius iure *coepit* ad canem alteram spectare negavit?) et hic et alibi (velut A 13,14 ⟨*illa*⟩ Hav.; IV 9,6 *simus* (σιμός) pro *simul* Housmannus (v. p. 5[2]) probante Haveto, qui a. 1898 in ephem. q. v. *Revue de phil.* vol. 22. p. 58 ss. ⟨*hic*⟩ inseruerat, in Enchiridio § 889; A 13,22 ⟨*haec*⟩ Iannellius; A 24,2 *quae* pro *quam* Nauckius a. 1880).

[2] forsitan paraphrasta *hercle* Phaedriano respondere *ergo* voluerit. Atque *hercle* cum *ergo* coniunctum displicet.

[3] iam Langeno *ibi* in mentem venit.

[4] in fine capitis IV. dissertationis de natura generis fabellarum scripta,

ria Graeca simplici cum magno detrimento suo differre ostendit, velut fabella hac:

Canis per flumen carnem dum[1] *ferret natans,*
lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
aliamque praedam ab altero[2] *ferri putans*
eripere voluit; verum decepta aviditas
et quem tenebat ore dimisit cibum
nec quem petebat adeo potuit tangere[3],

quod canem natantem fingat, non flumen aut transeuntem ponticulo[4] aut praetereuntem; etenim natando aquam adeo turbari, ut iam non sit speculi instar, in quo effigies conspici possit[5]. Quamvis recte Lessingius hanc discrepantiam perspexerit[6], alteram inter

---

quam dissertationem editioni fabellarum suarum adiecit (in ed. Lachmannianae III. vol. VII. p. 474.).

[1] de *dum* pro *cum* posito vide Schmalzium in Enchiridii Muelleriani vol. II 2. § 317,2 (p. 558. ed. IV. a. 1910.).

[2] *altero* 𝔄, *alio* PR; vide Thieleum p. CCVI. Ceterum *ab alio* ⏑́⏑⏑⏑ rhythmus per se absonus non est (haec dico contra Havetum in Enchir. § 284). Praepositio et substantivum unam vocem efficiunt; vocem autem quattuor syllabarum brevium in eadem sede versus Phaedrus exempli gratia I 14,1 posuit: *malus cum sutor* ínopia *deperditus.*

[3] *tangere* 𝔄, *attingere* PR; cf. Haveti variam lectionem. Rigaltius verba sic transposuit: *potuit adeo attingere*; sed *adeo* eam vocem subsequi solet, quam auget, sicut γέ (Thes. L. L. I. p. 614,43.) atque hic non *potuit* augetur — qui hoc exemplum in Thes. vol. I. p. 614,49 s. (*effert verba*) inseruit, coniecturam illam Rigaltii pro lectione tradita habens de sensu loci deceptus est — sed enuntiatum relativum, quod idem valet atque *alterum* (opp. *quem tenebat* i. e. *proprium cibum*). Cf. etiam p. 27.

[4] ponticuli in nullo exemplari Graeco mentionem fieri recte admonuit Ellisius (v. Hav. p. XII.) p. 29. contra Lessingium; equidem dubito, num Graeci ponticulis usi sint; διέβαινε est *per flumen gressus est.*

[5] hanc discrepantiam Phaedro crimini dandam esse negaverunt rationibus futilibus Schwabeus (aliter a. 1779., aliter a. 1806.), Titzeus (in ed. Pragensi a. 1813.), Gailius (in ed. a. 1826.). Immo Lessingii opinionem argumentis tribus confirmo. 1° Canes aliquid ore tenentes natare constat capite sursum porrecto. 2° Licet tamen canis Phaedrianus in aquam despiciat, nihil cernere possit, quoniam oculi parum a speculo lympharum absunt. 3° Prorsus non potest despicere, nisi caput demittit — eo tempore autem caro in aquam mergitur nec simulacrum eius oritur.

[6] sed mihi dubium est, Phaedrusne hanc rem ipse novaverit — quae ratio ei ab Hartmanno (v. Hav. p. XII.) p. 42. imputatur vix recta est —; fieri

apologum Phaedri et narrationes Graecas intercedere eum fugit atque eam haud minus gravem. Observata est a. 1898. a Nicolao Festa in ea commentatione, quam inseruit Studiorum Italorum vol. 6. p. 257 ss.; is animadvertit in fabula Graeca 233. (Halm.)

Κύων κρέας ἔχουσα ποταμὸν διέβαινε· θεασαμένη δὲ τὴν ἑαυτῆς σκιὰν κατὰ τοῦ ὕδατος, ὑπέλαβεν ἑτέραν κύνα εἶναι, μεῖζον κρέας ἔχουσαν· διόπερ ἀφεῖσα τὸ ἴδιον ὥρμησεν ὡς τὸ ἐκείνης ἀφαιρησομένη. Συνέβη δ' αὐτῇ ἀμφοτέρων στερηθῆναι, τοῦ μὲν μὴ ἐφικομένῃ, διότι μηδὲ ἦν, τοῦ δ', ὅτι ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ παρεσύρη

carnem canis alterius cani ipsi videri *maiorem* (itidem Babr. 79.), apud Phaedrum hanc rem deesse[1]. Decem annis post eandem observationem fecit Ericus Getzlaffius (Quaestiones Pseudo-Dositheanae et Babrianae, diss. Marpurg. a. 1907., p. 11.), non rectius insumpsit quam Festa. Neque enim quod caro altera cani *maior* visa esse dicitur, est additamentum supervacaneum, verum haec discrepantia summi momenti est et narrationi penitus infixa. Quae ut manifesta fiat, opus est narrationem Graecam cum apologo Phaedri diligenter conferri[2].

Cur canis apud Graecos carnem alteram captat? Num in his recensionibus casu additur hanc ei maiorem visam esse quam suam? Recte Getzlaffius p. 12. a cane cibum imaginarium ob magnitudinem ei cibo quem ore tenet *praeferri* disserit. Sic est. Suam praedam consulto omittit; deliberat enim se hanc sine iactura abicere posse, quoniam meliorem iam iam habiturus est, scilicet eam, quam nunc alteri cani rapiet; quin etiam rapere omnino illam carnem se nequire, nisi hanc demittat[3].

---

potest, ut mendum ad auctorem eius redeat (p. 17.). Ceterum non multum refert ad aquam quiescentem pellucidamque, utrum canis flumen transgressus sit an tranaverit (διέβαινε, cf. p. 14[4]).

[1] id librariorum culpa factum esse censet. Proinde versum 4. claudicantem sic sanavit:

aliamque praedam maiorem ferri putans

ratione non habita codicis 𝔄, vetustioris quam PR, qui *maiorem* non exhibet.

[2] tales comparationes a Lessingio institutas interpretationi magno usui esse docet Nordenus in Isagogae vol. I. p. 569. (ed. I. a. 1910.).

[3] abici carnem consulto cum gradu comparativo aperte demonstratur tum tribus narrationibus Graecis, quae pro ἀφεῖσα participio narrationis ab Halmio receptae verbum finitum sumunt coordinantque verbo captandi, ita

Phaedrus fabellam longe aliter narrat. De cane deliberante nihil legimus: nihil nisi *eripere voluit* — eo quod illa praeda maior est, omnino non movetur; non *praefert* cibum alterum suo. Verum tam avidus est, ut canem alium quicquam habere non possit perferre. Etiam quod ille habet, ipse habeat necesse est. Atque proinde instinctu excitatus captat hianti ore simulacrum — omnino non ei incidit hiscentem se sua carne privatum iri, quippe quae tunc ex ore casura sit[1].

Hanc discrepantiam multum valere ad id quod *fabula docet*[2] quis est quin primo obtutu videat.

Apologo Graeco ei avidi denotantur, qui libenter aliquid concedunt, modo maius assecuturi sint, quique puniuntur spe decepti, ita ut postea vehementissime eos paeniteat quod habuerint ultro omisisse.

At Phaedrus ostendit, ut qui sua bona alienis augere velint, propter aviditatem prudentiam neglegant et tamquam obcaecati cupidine[3] ne proximum quidem videant, nempe proprium amittant

---

ut nemo dubitare possit, quin actioni utrique auctoritas insit eadem. Sunt exemplaria testium optimorum: Theo qui aetate Hadriani floruit (Rhet. Graeci I. p. 178. Walz. = II. p. 75. Speng.) ὃ μὲν εἶχεν inquit ἀπέβαλεν, ἁλόμενος δὲ εἰς τὸν ποταμὸν ὡς ἁρπάσων ὑποβρύχιος ἐγένετο, Babrius (a. ± 200.) 79,4 s. τὸ κρέας ἀφῆκε, τῇ σκιῇ δ'ἐφωρμήθη. ἀλλ' οὔτ' ἐκείνην εὗρεν οὔθ' ὃ βεβλήκει. Aphthonius (saec. IV.) fab. 35. in Mythologia Aesopica Neveleti (ed. II. a. 1660.) ὃ μὲν εἶχεν ἀφῆκεν· πειρώμενος δὲ λαβεῖν τὸ μεῖζον συνδιαμαρτάνει μετὰ τοῦ μετρίου τοῦ πλείονος. Etiam ἀπορρίψας Syntipae (ed. Matthiae Lips. a. 1781.) clarius est quam ἀφεῖσα.

[1] Phaedri verba me recte intellexisse hi testes confirment (quos animadverti tum demum, cum interpretationem quam modo dedi ab Aesopo vulgari alienam verba poetae interpretatus reppereram). R Steinhoewelianus, Maria Francia (fab. 5. ed. Warnkei: *purpensa sei en sun curage qu' aveir les voleit ambedous* poetaeque serilatini ap. Hervioesium (v. Hav. p. XV.) ed. II. vol. II. p. 318., 384., 399., 717., 759. Phaedri canem avidissimum comparo cum corvo illo ambitioso (204. Halm. ∼ Phaedr. I 13), qui vulpo callido se non esse mutum demonstraturus dum crocitat, necopinus quem ore tenet caseum perdit; cf. *emisit ore caseum* I 13,10 ∼ *ore dimisit cibum* I 4,6 (ubi non inter *ore* et *dimisit* interpungendum esse, tracto *ore* ad *tenebat*, locus alter evincit et A 23,6, etiam V 10,6.)

[2] epimythiis Graecis nullam auctoritatem tribuo, quippe additis aetate posteriore.

[3] cf. Cic. de fin. I 10/33.: *eos . . accusamus qui blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint*, obcaecati cupidine *non provident*.

necesse esse alienum si conentur appetere. En fabellae vis memoria Graeca diversa.

Utra forma narrationis vetustior aut primaria sit, vix diiudicari potest. Unum dico: nihil esse, quod eam versionem, qua car cibum alterum maiorem visum esse silentio praeteritur, a Phaedr ipso formatam esse arbitremur[1]. Neque enim quicquam certi scimu de eius auctoribus memoriaque apologorum Graeca aequali. Tenendum est neque Aesopum Hauptmannianum, quem Lessingiu adhibuit, nec Coraisianum neque Halmianum omnes quas antiqu narrabant fabulas continere. Paucae extant totius generis reliquiae et apologi de quo disputamus auctores nostri Graeci (p. 15 omnes[2] aetate aliquanto recentiores sunt quam Phaedrus[3]. Oppor tune autem accidit, quod sermone quoque Graeco vestigium narrationis eius, quae apud Phaedrum extat, servatum est. Legimu apud Ignatium, diaconum Byzantinum saec. IX., in tetrast. 9. (i editione Babriana Crusii p. 267.):

Φέρων κύων τις πλησίον ῥείθρου κρέας
κύψας ἑαυτὸν ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει.
Χανὼν δὲ λοιπὸν τοῦ κάτω λαχεῖν κρέως
ἀπεστέρητο παντὸς οὗπερ ἐκράτει,

quae narratio prorsus cum Phaedro concinit[4].

Haec hactenus de apologi qui est de cane et umbra carni

---

[1] ut solet Lessingius. Hoc etiam ad eam discrepantiam quam is de texit pertinere volo.

[2] praeter Democritum philosophum, sed ex placito eius brevi (ἡ το πλέονος ἐπιθυμίη τὸ παρεὸν ἀπόλλυσι τῇ Αἰσωπείῃ κυνὶ ἰκέλη γινομένη Stob. III 10,68 = fr. 224. Dielesii; ad πλέονος ἐπιθυμίη cf. fr. 3. p. 386,18. et fr. 191. p. 420,20. D². certe intellegi nequit, utrum narrationem respiciat hanc an illam.

[3] erravisse sicut Lessingius videtur de ratione temporum, quae inte Phaedrum et syllogas Graecas intercedit, Jacobus Grimmius, vir summu nostras, cum a. 1834. censuram de poeta Romano ageret hanc: ***Phaedrus ge waehrt uns die nochmalige Nachbildung Aesops in gemessener, aber unbelebter Sprache aus der alle Poesie entwichen ist, eine glatte, kahle Erzaehlung, ein wenig labende vierter Aufguss auf die Trebern des alten Mosts. (Reinhart Fuchs*** p. ***XV.)***

[4] deest comparativus recensionibus Graecis reliquis proprius — et r vera ut apud Phaedrum canis cibum amittit, non omittit, id quod verb χανών (cf. ℜ Steinhoew.) dilucide describitur.

recensione duplici[1]. Quid quod forma utraque duobus laborat vitiis[2], quae multo graviora sunt quam quae initio in fabella Phaedri deprehendimus[3]. Nonne igitur huic veniam nos dare imprudentiae aequum est? Etenim hae narratiunculae populares neque ex animo cuiusquam rerum naturalium periti neque ex animo ferarum aestimandae sunt, sed ex animo hominum simplicium, quoniam his destinatae sunt bestiaeque in eis non ut bestiae sed ut hominum simulacra partes suas agunt. Clarissima quaeque autem erroribus eiusmodi affecta est nec tamen auctoritate caret. An — ut hoc utar exemplo — apologo illo de vulpe et uvis notissimo quisquam minus delectatur, quia vulpem omnino non vesci constat his fructibus?

I 5

Lessingium Phaedri ingenium haud ita magni existimavisse ostendimus. Is poetam non minus temere exemplar Graecum commutavisse demonstrabat, cum hanc fabellam componeret:

3 *Vacca et capella et patiens ovis iniuriae*
socii fuere cum leone in saltibus.

---

[1] quid facilius fieri potuit, quam ut versiones duae specie prima simillimae, quarum discrepantia usque ad Festam omnes viros doctos praeterierit, inter se confunderentur. Id factum est apud „Romulum" (fab. 8. Th.) et „Dositheum" (Corp. Gloss. Lat. III. p. 44 b ∾ 97 a) atque apud duos scriptores ecclesiasticos, Irenaeum (adv. haer. II 11. p. 737 A) et Epiphanium (adv. haer. I 41 p. 299 D).

[2] quorum alterum Thieleus p. 23. designavit, ad alterum animum meum advertit Lud. Heckius, vir bestiarum naturae optime peritus, qui Horto Zoologico Berolinensi praeest. Is mihi scripsit absurdum atque perversum esse (*eine ganz ungeheuerliche Idee* inquit) canem ad simulacrum in undis oriens attendere ideoque cibum ore emittere dici. Accedere, ut canes id quod neminem ignorare naribus maxime utantur ad naturam rei alicuius cognoscendam. ***Von meinem Standpunkte aus***, ait, ***muß ich daher die ganze Fabel ueberhaupt zu den schwaechsten Erzeugnissen dieser Art im tierpsychologischen Sinne rechnen.***

[3] haud scio an nemo adhuc observaverit poetam multo maiorem aliquando itidem dormitavisse ac Phaedrum (auctoremve eius), Callimachum dico, qui hymn. 5,19 s. haec canit (de Minerva)

οὔτ᾽ ἐς ὀρείχαλκον μεγάλα θεὸς οὔτε Σιμοῦντος
ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν.

Si aqua a cane natante turbata speculi instar non est, profecto vertex fluminis minime imaginem reddit.

Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
sic est locutus partibus factis leo:
„Ego primam tollo, nominor †quia leo;
secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
malo adficietur, siquis quartam tetigerit“.
Sic totam praedam sola improbitas abstulit

exemplo usus hoc (258. Halm. ∾ Babr. 67.):

Θῆρας ἐθήρευον λέων καὶ ὄναγρος, ὁ μὲν λέων διὰ τῆς δυνάμεως ὁ δὲ ὄναγρος διὰ τῆς ἐν ποσὶ ταχύτητος. Ἐπεὶ δὲ ζῶά τινα ἐθήρευσαν ὁ λέων μερίζει καὶ τίθησι τὰς μοίρας. „Τὴν μὲν μίαν“ εἶπεν „λήψομα ὡς πρῶτος, βασιλεὺς γάρ εἰμι· τὴν δὲ δευτέραν, ὡς ἐξ ἴσου κοινωνῶν· ἡ δὲ τρίτη μοῖρα — αὕτη κακὸν μέγα σοι ποιήσει, ἢν μὴ ἐθέλῃς φυγεῖν“ Quod quo iure Lessingius affirmaverit, videamus.

Duae sunt offensiones eius. Interrogat indignatus, qua ra tione fieri potuerit, ut vacca, capella, ovis leoque condiceren idque ad venandum, cum asinus silvester fabellae Graecae venatu et praedae socius admodum idoneus sit, quoniam eum carne putre facta vesci constet. Deinde partitionem praedae a leone institutan apud Phaedrum ineptam esse, at in memoria Graeca praeclaram

Atque argumenta — ut quaestionem a differentia hac inci piam[1] — leonis dividentis omnia praeter extremum alia esse i apologo Latino, alia in Graeco, quis est quem fallat. Nihil com mune intercedit inter *nominor quia leo* et βασιλεὺς γάρ εἰμι, inte *quia sum fortis* et ὡς ἐξ ἴσου κοινωνῶν[2]. Sed nescio quo pacto ex titerint, qui argumenta exaequanda esse censerent, quasi memori Phaedri non sit integra. Quo factum est, ut verba tradita apu Havetum ita legantur:

7 *Ego primam tollo; nominor quia rex meast;*
secundam, quia sum socius, tribuetis mihi.

---

[1] ex commentatione Gorskyi (*Die Fabel vom Loewen-Anteil in ihre historischen Entwicklung*, diss. Berol. a. 1888.) fructus nihil capere potui a discrepantiam explicandam, multum cepissem ex his commentationibus, si ea mature novissem: ex Iac. Badeni progr. Helsingor. a. 1773., iterum vulgat in Opuscul. Latin. eius, Hauniae a. 1793., vol. I. p. 157 ss., et Titzei adn in ed. (p. 14[5]). Quarum dissertationum ignarum me ad sententiam paren pervenisse gaudeo.

[2] argumentum tertium Phaedrianum apud Graecos omnino deest.

Lectio versus 7. tradita sine dubio integra non est[1] metro claudicante[2]; sed hoc attinet ad formam versus, non ad sensum, atque versus 8. numeri

secundam quia sum fortis tribuetis mihi

offensione vacant[3]. Quid igitur de coniecturis eis iudicandum est, quibus philologi quidam versum utrumque narrationi Graecae parem reddere studuerunt?

Quicumque in v. 7. leonem regis gratia, in v. 8. fortem socii (aut talis cuiusdam) gratia expellunt, hac re vehementissime falluntur, quod Phaedrum partitionem longe aliter instituere ac scriptores Graecos non vident[4]. Leo apud Romanum totidem partes facit quot socii sunt venandi, non plures. Ineptum igitur est, quod ad primam partem Graecorum pertinet, ad primam Romani referre, quodque ad alteram partem illorum spectat, ad alteram huius

---

[1] lectio Haveti mihi minime probatur. Nam *meast* supervacaneum est: quo spectat, nisi ut versus fulciatur? Ceterum dubito, num ante pedem extremum inter enuntiatum principale et secundarium interpungi liceat (Hav. in § 17.). Accedit, ut Phaedrus *quia* numquam in thesi ponat prima excepta (proinde emendatio Pithoei IV 18,10 falsa est). Atque mentionem dignitatis regiae quam abesse nequire Havetus contendit in § 52. (similiter nuper in Enchir. crit. § 571.), etiam 𝔄𝔑 ignorant.

[2] cui mea sententia optime a. 1713. subvenit GRichterus (v. Hav.) *quoniam* pro *quia* ponens. At dixerit quispiam *quia* etiam codice 𝔄 defendi, ideo tenendum esse. Sed hunc testem I 8,2s. pro *quoniam* . . . *quia* Phaedriano bis *quia* scribere non veritum esse Hareus ostendit. Proinde quid impedit, quominus eum etiam I 4,7 exemplar mutavisse credamus? Hoc mendo alterum locum a Richtero recte sanatum esse veri simile fit. Facillime primum argumentum reliquis accommodari potuit, praesertim cum utraque vox compendio scribi soleret.

[3] praeterea nec 𝔄 nec 𝔑 opinionem mendi confirmant. Sed Withofii (ap. Schwabeum) coniectura *socius* pro *fortis*, quem apud Havetum legimus, permultis probata est. Nostra aetate novas sed ei similes praeter tres Austriacos, quos in Haveti varia lectione inspicias, Anglici duo protulerunt: Govius in ed. scribit *consors* et adnotat Postgateum proponere *aeque consorti*. Qui cur omnes curam frustra consumpserint, ostendam.

[4] hoc πρῶτον ψεῦδος coniecturarum omnium etiam Susterum (v. Hav.) et Herzogium (a. 1894. in Ephemeridis philologiae classicae dedicatae vol. 11. p. 125.) praeteriit, qui scite lectionem traditam tutati sunt.

spectandum curare[1]. Immo nostrum est investigare rationes poeta qui quae tam inepta videntur scripsit[2].

Atque differentia, quae inter versiones apologi duas est, si breviter potest describi: „leo Graecus affert causas ex iure pe titas, Romanus imaginarias“. Fabularum hanc esse rationem u cognoscamus, age eas iterum accurate comparemus.

Uterque poeta minime leonem partes ad suum arbitrium fa cientem fingit. Conscius est rex ferarum sibi probandum ess quodcumque faciat. In civitate, cui praeest, non est libido principi pro legibus: princeps ipse eis tenetur. Tantum abest, ut ad prae clarum illud *hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas* provocar ei liceat, ut vel infimis civibus rationes dicat, cur ita agat. Atqu eo maxime fabella Graeca nec non Phaedriana lectores delectantu quod extremum leo argumentis afferendis desistit[3] et ex rege hu mano tamquam oritur tyrannus crudelissimus, qui pro ration voluntatem ponit, natura animi vera manifestata[4].

---

[1] primam partem leonem Phaedri dignitatis regiae causa accipere inte Muellerum (p. 101. ed. mai.) et Havetum convenit; tamen uterque vir doctu errat. Supersedere potuit leo ad dignitatem provocare. Etenim socii adsun quattuor, quattuor factae sunt partes. Proinde leoni unam postulare licere etiamsi rex non esset. Accipit eam ut socius. Ergo in v. 7. *rex* suo loc non est nec *socius* in v. 8., ubi Withofius aliique eum interpolaverunt; i fabella Graeca hoc argumentum ibi iure affertur, quoniam ex partibus tribu una assignata duae restant; socii duo sunt, itaque qui ἐξ ἴσου κοινωνῶν es alteram duarum illarum i. e. pro leone τὴν δευτέραν omnium trium accipi At apud Phaedrum frusta adfuerunt quattuor, unum iam abest, restant tri *socii* etiam nunc adsunt quattuor: tuncne cuiquam socio iure sodalicio *unu* frustum dari aequum est? Minime, sed ter quarta pars unius frusti ei co venit — nisi forte ut poeta Romanus computare potuerit veremur.

[2] quam quaestionem ex parte iam a. 1718. Burmannus sagacissim absolvit.

[3] sed diversa de causa. Leonem Phaedrianum tandem argumentation piget. Non vult plura fingere; *sit pro ratione voluntas*: ita dissimulandi finem facit. At in recensione Graeca quae afferuntur causae ex iure sumptae sur et causae tales verae leonem deficiunt, cum leoni alteri ordinem continua liceat, dum libeat. Simillima est fabella praeclara de lupo et agno (27 Halm.), ubi narratio Phaedri (I 1) eo a Graeca discrepat, quod lupus usqu ad extremum sibi esse causam simulat, cur agnum necet.

[4] *mutare naturam non potuit* ut ait 𝔄 in fab. 49. sua (p. 57. ed. Thielei a 1905.) occasione simili.

His rebus recensiones duae concinunt. At argumentis, quae antea leo affert, valde inter se variant, quia medium leonis Graeci ex iure petitur, media duo Romani non sunt legitima. Qua de causa vis earum diversa est.

In apologo Graece servato vis inest comica quaedam. Nam quamvis asini decepti nos misereat: quis non ridebit, cum leonem socio frusta duo sua esse demonstrantem audiverit. En *summum ius summa iniuria.* Alius animus spirat in fabella Latina, dummodo poetam recte intellegamus. Satira est acerrima. Ne hic quidem leo causas afferre supersedet — scit quid regem legibus obtemperantem deceat — sed quas causas affert[1]. Quam valde rex talis cives suos contemnere putandus est, qui eis satisfacit causis eiusmodi novis atque inauditis.

Ratio carminis Phaedriani si haec est, Lessingius poetae minime satisfecit. Laude digna est narratio — verum haec laus forsitan debeatur non Phaedro, sed auctori eius. Nam quod contra Lessingium supra ostendi: nos omnino ignorare, num eandem fabellam Graecam legerit ac nos, idem nunc moneo. Multae fuerunt antiquitate uniuscuiusque apologi recensiones — unde eam quidem ad aetatem nostram pervenisse scimus, quam Phaedrus vertendam sumpsit[2]? Atque habeo, quod eum recensionem non ipsum formavisse crediderim. Meminerimus Lessingium inter fabulam Graecam et Phaedrum alteram discrepantiam observavisse, quae ad socios leonis spectat. Apud Phaedrum vacca, capella, ovis una cum leone venantur, non onager, qui a scriptoribus Graecis inducitur. Miri ei quidem comites sunt — sed estne aequum ideo putare Phaedrum temere ab exemplari Graeco recessisse? Hoc non solum Lessingio,

---

[1] ad rationem apologi Phaedriani recte perspiciendam magni, opinor, momenti est, quod leo vel unum argumentum neglegit, ad quod suo iure provocare potuit, argumentum dico, quod in iure societatis ponitur. Loco primo prorsus idoneum fuisset, nec tamen legitur. Spectatur, ut ne minimum quidem iuris in causis leonis insit.

[2] Ignatius, quem cum Phaedro I 4 comparare mihi licuit (p. 17.), hic et ab eo et a memoria vulgari prorsus abhorret. — De apologis aetatis serioris, in quibus duae recensiones mixtae sunt, ego nuperrime disputavi in eius ephemeridis quae vocatur *(Herrigs) Archiv fuer das Studium der neueren Sprachen und Litcraturen* vol. 126. p. 438 s. (s. v. *Eine „Rettung“ der Marie de France.)*

sed etiam Haveto (cf. notam)[1] iudice consentaneum est — eg quamvis malus poeta Phaedrus sit, tanta eum fuisse stultitia nun quam putabo. Quid quod multum in toto apologorum genere mirui est. An — ut unum exemplum afferam — ullo loco terrarum bestia sermone praeditae sunt? Proinde quoniam fabellis universis i priorem naturae statum ducimur[2] — quid interest utrum leoı asinus silvester comes detur an alia animalia? Ego non dubit quin quod vacca, capella, ovis cum leone se coniungunt, inventuı tam priscum sit[3], ut nulli postea in mentem incidere potuerit[4].

Sed sive Phaedrus recensionem formavit ipse sive auctoı debet, hoc teneo Lessingium fabellam iniuria vituperavisse, cuiu rationem per se pulcherrimam esse satis demonstravisse mihi video:

I 14,18

Fabellam, quae est de sutore malo munus medici sibi arrc gante[5], poeta epimythio ornavit, quod ut codices sic exhibent

---

[1] is arcani quiddam' in hoc animantium delectu subesse opinatur, cuiı explicationis iam Titzeo (p. 16[5]. 19[1].) in mentem venit (similiter Badenu p. 19[1]]).

[2] hoc iam Titzeus admonet.

[3] valde gavisus sum, cum p. XXIX. Thieleum idem sentire legissen

[4] ceterum onager re vera carne putrefacta non magis vescitur quaı vacca capellave ovisve. Hac re Lessingium vehementer errare me docui Franciscus Eilhardus Schulzeus, rerum naturalium professor. Postea apu Badenum legi Aelianum XVII 31 asinos silvestres inter animalia ponere, qua συκοτράγα . . . καὶ ἀλφιτοφάγα sint. Forsan iuverit audire Lessingium prim argumenti falsi mentionem non fecisse (v. vol. XIV. p. 239. ed. III. Lachm. Comes ab omni parte idonea esset sus fera; ceterum deliberandum est as num silvestrem in Graecia non vivere (secundum Ael. l. c. in Armenia) proinde fortasse consuetudo eius scriptori fabellae ignota erat.

[5] tractavit eam nuper Thieleus a. 1908. in Hermae vol. 43. p. 356 ss., u versum unum (5.) insiticium esse post alios demonstraret. Tenere me no possum, quin Kohlii (a. 1727.) verba ex Commentationibus Criticis (I 49 § 4 transcribam, ut conferantur, maxime ea verba quae litteris solito latius distar tibus exhibebo, cum argumentatione Lessingii, quam cuilibet apud Thieleuı legere licet. Kohlius „cum iste ⟨versus 5.⟩“ inquit „salvo et incolum sensu contextus non tantum abesse queat, sed etiam, si recipiatuı sensum alioquin bonum satis et commodum disturbet, cur nobis religio si eum exturbare? Sive enim ad sutorem haec verba medicum sive a regem ipsum referas, nihil facile non ineptum aut coactum evadet“. Le

17 *hoc pertinere vere ad illos dixerim,*
quorum stultitiae quaestus imprudentia est.

ita versum alterum editores ad unum fere omnes commutant. *imprudentia* iam editori principi displicuit; *r* delendum esse duxit (cf. p. 25[2]), quae emendatio quo diutius eo magis recepta est, etsi plerumque ei altera adiungitur, quam Guyetus proposuit. Quo factum est, ut vulgo legatur

quorum stultitia quaestus impudentiae est.

Sed is versus, quamvis sit casuum mutatio coniectura facilis[1], ferri nequit[2], etsi quod tot viris probatus est non miror: nullo enim negotio intellegi potest et suo loco videtur esse. *stultitia* i. e. *stulti, impudentiae* i. e. *impudentibus* sive *impudenti*; est genus dicendi vere Phaedrianum, quo abstracta pro concretis ponuntur. Itaque vis epimythii haec est: „Fabella ad illos homines pertinet, qui ut sunt stulti impudentibus quaestum[3] praebent". Poeta eos denotat, qui itidem se gerant ac cives, qui a sutore impudenti se falli passi sint.

Verumtamen nego esse, cur lectione codicum decedamus[4]. Quid enuntiatum

quorum stultitiae quaestus imprudentia est

sibi vult? Hoc: „(Fabella ad illos pertinet,) qui sunt stulti, quibus autem imprudentes quaestum praebent". Idne esse perversum? Stultos non facere quaestum ex imprudentia aliorum? At quaeso quid tandem fecit — sutor, de quo Phaedrus narrat? Idem, opinor,

singius, qui se mirari dicit, quod nemo adhuc versus 4. et 5. spurios esse animadverterit, mihi olim Kohlii dissertationem legisse, postea prorsus oblitus videtur esse. Ceterum verba eius legis loco p. 23[5] citato p. 242.

[1] cf. III 17,7
honorem fructu ne videamur vendere NV recte, *honore fructum* . . . . PR
sive III 10,6
quam stulte prava iudicet sententia NV recte, . . *stulta prave* . . . . . Pp

[2] Havetus enim observavit (in § 62.) *est* a Phaedro in fine versus non collocari nisi suo nominativo (vel adverbio) artissime coniunctum. Ipse cum Guyeti rationem probet, aliam coniecturam proponit, qua sensus versus re metrica salva idem maneat. Sed rectius quam *est* ad arbitrium transponere est concedere observatione illa coniecturam Guyetianam, sive sensus eam postulet sive minus, omnino refelli. (Senecae ratio nullius momenti est.)

[3] ad *quaestus* nominativum cf I 21,2: *ignavis etiam iocus est.*

[4] Havetus aliter sentit etiam nunc (in Enchir. crit. § 126).

quod versu 18. secundum codices describitur. An non in eo stultitia erat? Negaverit quispiam, quia homo se callidissimum praestiterit Atque tamen stultus erat, adeo stultus, ut v. 1. non solum *malus* vocetur, sed etiam dicatur *inopia deperditus* esse, nempe quoniam nemo ei calceos conficiendos resarciendosve tradidit (v. 16.) Atque quid de civibus? Nonne in eis imprudentia erat? Erat: fraudem non senserunt nec medico recenti diffisi sunt, quem artem sutoriam non bene exercere sciebant, nedum artis medicae peritus esse posset Rex eis v. 14. ipse dementiam exprobrat.

Obscuri igitur restat nihil, dummodo epimythium non ad civium similes spectare perspexerimus, sed ad sutoris similes[1]. Licuit Phaedro id sic instruere — cur codicibus fidem negemus? An ideo, quod, si ego rectum vidi, haec sententia non cum epimythio fabellae quod videtur vero concinit:

14 *quantae putatis esse vos dementiae*
qui capita vestra non dubitatis credere,
cui calc⟨e⟩andos nemo commisit pedes.

Qua in inconcinnitate procul dubio editores haeserunt[2] — poeta eam admittere non veritus est, id quod exempli causa fabella III 15 demonstratur[3].

Forsan iuverit me addere eundem in modum peccatum esse iam in fabella Graeca prima omnium, quae aetatem tulerunt Etenim Hesiodus in Operibus et Diebus praefatus: (202) νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσι ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς haec narrat:

203 ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον
ὕψι μάλ' ἐν νεφέεσσι φέρων ὀνύχεσσι μεμαρπώς —
205 ἡ δ' ἐλεόν, γναμπτοῖσι πεπαρμένη ἀμφ' ὀνύχεσσι,
μύρετο· τὴν δ' ὅ γ' ἐπικρατέως πρὸς μῦθον ἔειπεν —·

[1] en versio mea: ***dies(e Fabel) geht, so behaupte ich wohl mit Recht, au Leute, die (‚zu ehrlichem Berufe) zu dumm, von der (menschlichen) Leichtgläubig keit leben.***

[2] nondum haesit Pithoeus; nam versus ab eo emendatus
quorum stultitiae quaestus impudentia est
— versus per se pulcher: ***qui stulti sunt, verumtamen victum sibi parant, qui iidem impudentes sunt*** — ipse quoque ad eos homines spectat, qui itidem se gerunt ac sutor.

[3] iniuria igitur et Kohlius (v. p. 23[5].) in § 8. I 14,17 s. a Phaedro abiudicavit et Eyssenhardtius III 15.19 s.

δαιμονίη, τί λέληκας; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.
τῇ δ' εἶς ᾗ σ' ἂν ἐγώ περ ἄγω καὶ ἀοιδὸν ἐοῦσαν.
δεῖπνον δ', αἴ κ' ἐθέλω, ποιήσομαι ἠὲ μεθήσω.
ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν·
νίκης τε στέρεται πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.
ὣς ἔφατ' ὠκυπέτης ἴρηξ, τανυσίπτερος ὄρνις.

Versibus 210. et 211. sententia moralis apologi contineri videtur; attamen poeta et v. 202. negavit se hanc exhibiturum esse (φρονέουσι καὶ αὐτοῖς sic verto: *die ihn [den αἶνος] schon von selbst verstehen*) et haud dubie aliud fabella doceri voluit: potentibus omnia facere licere iure nihil valente. Qua offensione Aristarchus commotus videtur esse, ut distichum a scriptore abiudicaret; ego censeo criticum sagacissimum Hesiodi ingenium iusto pluris existimavisse nec dubito, quin poeta ipse, non interpolator, mythum gnomologia tamquam falsa vel potius duplici eaque discordi ornaverit[1].

Editores nisi coniectura Pithoeo-Guyetiana apud Phaedr. I 14,18 tamquam obcaecati essent, versum apud eundem atque haud procul ab hac fabula extare sensissent alium similem atque ipsum quoque ultimum epimythii, I 22,12 dico (ex apologo „de mustela et homine"):

hoc in se dictum debent illi agnoscere,
quorum privata servit utilitas sibi
et meritum inane iactant imprudentibus

ubi *imprudentibus* iterum plurimi non intellegentes ad coniecturas confugerunt, ita ut *imprudentia* loco *imprudentiae* legeretur. Sed hae omnes vanae sunt[2].

---

[1] Lisco quoque in Quaest. Hes. (diss. Gotting. a. 1903.) p. 51 s. ausus est contra editores Aristarchum non sequi.

[2] id quod evicit Kunkelius (Hav. p. XI.), cuius explicationem elegantissimam transcribere mihi liceat, cum nuperrime Rankius a. 1910. in Mnemos. vol. 38. p. 263 s. iterum aliter iudicaverit. *„Alles scheint"* inquit *„zu stimmen, bis auf einen Punkt: der Mann der Fabel ist ja doch kein* homo imprudens! — *Da steckt es eben — deswegen ging es dem Wiesel schlecht; der Mann der Fabel ist ein* homo prudens. *Diese nun, fuer die es gesagt ist, treiben es gerade so wie das Wiesel in der Fabel — aber nur bei* imprudentibus. *So lange diejenigen, bei denen sie ihre Unverschaemtheit treiben,* imprudentes *sind, mögen sie mit heiler Haut davonkommen. Sie sollen sich aber hueten, wenn sie einmal an den rechten Mann kommen — an den* homo prudens —, *der wird sie schon zausen.* De forma syntactica cf. p. 50.

II 8,11

In fabula, quae est de cervo ad boves confugiente, v. 11. sic traditur memoria meliore:

frondem bubulcus adfert nec ideo videt,

cum Perottus pro *nec ideo* tradat *nihil.* Editores recentissimi lectionem utramque coniungunt, sed ex coniectura Salmasii et Heinsii *adeo* scribunt[1], non *ideo*, quam lectionem codicum ego defensurus sum.

Havetus ut *adeo* probet, ad I 4,7 allegat[2]

nec quem petebat adeo potuit tangere[3]

quo in versu *adeo* particula prorsus idonea est[4], cum optime servet propriam sui vim, qua vocabuli notio augetur. Constat eam libenter adhiberi in oppositione atque ita, ut „*adeo non* praecedente negatione aut verbo, cuius notio negationem complectitur, pro *nedum* dictum esse censeas“[5]. Haec significatio ad locum Phaedrianum

decepta aviditas (canis)
et quem tenebat ore dimisit cibum
nec quem petebat adeo potuit tangere

quam fieri potest accuratissime quadrat; nam *dimisit* est *non tenuit*[6].

Verumtamen versus, de quo agimus. longe aliter se habet. Quid praecedit in apologo, quod efficere possit, ut *nil* augeatur? Nihil est. Etiam vocem desidero, cui *nil* opponatur. Ergo significationi particulae *adeo* efferenti locus non datur: haec coniectura reicienda est. Sed quid *ideo* particulae causali traditae faciamus? Immo concessiva flagitari videtur. Nihilominus *ideo* rectum esse[7] hac paraphrasi spero manifestum fore: „Bubulcus frondem attulit. Crediderit quispiam eum cervum *ideo* — quod frondem attulit atque eo tempore proxime ad boves accessit — vidisse: *nihil* vidit,

[1] quam lectionem Thesaurus quoque in vol. I. p. 615,60. respicit neque addit eam coniecturae deberi.

[2] hoc versu Heinsio coniectura illa in II 8,11 suppeditata esse mihi videtur, quoniam praeter eum nihil addit confirmandi gratia.

[3] vide p. 14[3].

[4] hoc quoque p. 14[3]. ostendi; Hartmannus *adeo* ineptum iudicat, quia non vidit particulam ad enuntiatum totum pertinere.

[5] Handius in Tursellini vol. I. p. 154., similiter Thes. in vol. I. p. 607,45

[6] ut Handius monet.

[7] tenendum est *nil ideo* legi, non *ideo nil* ut IV 25,17, quod nullo modo hic excusari posset.

dico." Haec enuntiata duo in unum confusa sunt[1], quam breviloquentiam exemplis probare possum. Tacitus ei admodum favet; cf. hos locos[2]: Ann. I 12 *(Asinius Gallus) addidit laudem de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum quaeque in toga per tot annos egregie fecisset admonuit.* nec ideo *iram eius lenivit.* IV 26 *Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blaesi, avunculi eius, laus obsolesceret. sed* neque *Blaesus* ideo *inlustrior, et huic negatus honor gloriam intendit.* XII 39 *Ostorius cohortes expeditas opposuit,* nec ideo *fugam sistebat.* XIV 49 (fin.) XV 4 (in.) Hist. I 75 (in.) IV 44 (fin.). Quid quod ne coniungere quidem veretur *non ideo* et *tamen*[3]: Ann. I 72 non tamen ideo *faciebat fidem civilis animi.* Sed etiam apud Ciceronem, Vergilium, Ovidium, Senecam breviloquentia haec extat: Cic. Cael. 9/21 *Sed vestrae sapientiae tamen est, iudices,* non, *si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Caelium,* ideo *vobis quoque vos causam putare esse iustam alieno dolori potius quam vestrae fidei consulendi.*

Verg. Georg II 95s.[4] *et quo te carmine dicam Rhaetica?* nec *cellis* ideo *contende Falernis.*

Ov. fast. II 823s. (Lucretia) *ter conata loqui ter destitit ausaque quarto* Non *oculos* ideo *sustulit illa suos.*

Ov. epist. 16 (17), 163s. *Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis; Sed tu* non ideo *cuncta licere puta;*
(codices alii utroque loco Ovidiano praebent *adeo*).

Sen. ben. III 36,3 non ideo *vicerunt, qui occupaverunt;*
VI 21,2 non ideo *minus vult, qui non potest nolle*
(quos locos citat Palmerus ad Ov. epist. l. c.).

Quae si deliberaveris exempla, intelleges ea ad unum omnia eundem in modum interpretanda esse atque Phaedrianum

frondem bubulcus adfert: nil ideo *videt*

modo interpretatus sum[5].

---

[1] Hartmannus p. 99. vix iure „non addidisset" inquit „istud *ideo* Phaedrus, nisi metrum coegisset". Optime hanc versionem adnotat CWNauckius: *ohne darum (etwas) zu sehn.*

[2] quorum complures aliis debeo.

[3] concedendum est *nec ideo* fere idem esse ac *nec tamen.* Cf. etiam Herod. VIII 112 *καίτοι* Καρυστίοισί γε *οὐδὲν τούτου εἵνεκα* τοῦ κακοῦ ὑπερβολὴ ἐγένετο.

[4] unde Phaedrum locutionem hanc sumpsisse adnotavit Schefferus.

[5] exempli gratia versum Vergilianum sic: „haud scio an putaveris, vinum Rhaeticum, ideo — quod te meo carmine maius dixi — te vel Falerno contendere posse: cave contendas, dico".

De libri II. epilogo.

Aesopi ingenio statuam posuere Attici
servomque collocarunt aeterna in basi,
patere honoris[1] *scirent*[2] *ut cuncti*[3] *viam*
nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem[4],
ne solus esset, studui, quod superfuit,
nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quodsi labori faverit Latium meo,
plures habebit, quos opponat Graeciae;
si[5] *livor obtrectare*[6] *curam voluerit,*
non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas
et arte fictas animus sentit fabulas,
omnem querelam submovet felicitas;
sin autem rabulis[7] *doctus occurrit labor,*
sinistra quos in lucem natura extulit
nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
fatale exitium corde durato feram,
donec fortunam criminis pudeat sui.

Hoc carmen, quod vulgo epilogus libri II. dicitur, ex parte mutilatum esse iam diu viri docti contenderunt. Alii Pithoeum,

---

[1] sic Pithoeus; *honori* NV, *homini* PR.

[2] *sciret* P m. 1.; eadem manus correxit in *sciretnt.*

[3] Speyerus post alios *cuncti⟨s⟩*. iniuria, nam cur Athenienses statuam Aesopi in basi *aeterna* posuerunt nisi ut *cuncti* i. e. homines non unius tantum aetatis de Aesopi meritis admonerentur?

[4] sic Rittershusius pro *foret* collato Hieronym. ep. 52,8,3: *Marcus Tullius, ad quem pulcherrimum illud elogium est „Demosthenes tibi praeripuit, ne esses primus orator, tu illi, ne solus“.* Havetus si hanc locutionem rhetoricam memoria tenuisset, vix cum in editionem aliam coniecturam recepisset tum postea a. 1900. in eph. q. v. *Revue de phil.* vol. 24. p. 297 s. negavisset *foret* corruptum esse. Lectionem eius *quoniam occuparat, alter ne primus foret* duabus de causis reicio: *occuparat* obiecto indiget et pro *alter* expectatur *alius* (Hav. ipse *un successeur inconnu).*

[5] *si⟨n⟩* necessarium non est; cf. IV 22,4.

[6] sic Pithoeus pro *oblect—* (cf. IV pr 15 s.).

[7] sic Baehrensius (v. Hav.) pro *ab illis*, quam coniecturam palmarem vocat merito Hartmannus p. 82 s.

editorem principem, secuti post v. 4. lacunam notaverunt, alii (primus Rigaltius) post v. 11. Quin etiam Guyetus (mortuus a. 1655. sec. Hav. p. X.) versus 7.—19. a Phaedro omnino abiudicavit. Sed inde a Schwabeo carmen fere intactum relinquitur. Nostra demum aetate et Havetus et Speyerus rursus lacunas agnoscere sibi visi sunt. Quas quo iure statuerint, disceptetur.

Speyerus inter v. 4. et 5. aliquid intercidisse adnotat; quae opinio, ut supra dixi, iam antea prolata est. Atque ne id quidem primus contendit *alterum* v. 5. non esse Aesopum, sed Romanum quendam, qui ante Phaedrum speciem fabellarum Romam transtulerit. Burmannus a. 1727. eadem de causa Heinsium impugnavit, qui poetam certum nobis ignotum fere nominaverat. Eum virum non esse *alterum* illum Burmanno facillimum erat ad demonstrandum. Deinde evincit Phaedrum ad neminem Romanum spectare; verbis eius explicatis allegat ad v. 8 s., quibus versibus is „tamquam auctor et conditor huius scribendi generis velit haberi apud Romanos“. Praeterea aliis quoque locis Phaedrus iuxta Aesopum est nullo interposito, velut

I pr 1 Aesopus *auctor quam materiam repperit,*
hanc ego *polivi versibus senariis* — et
II pr 1 *Exemplis continetur* Aesopi *genus* . . .
8 Equidem *omni cura morem servabo* senis; — nec non
III pr 33 *Nunc fabularum cur sit inventum genus*
brevi docebo: servitus obnoxia
35 *quia quae volebat non audebat dicere,*
affectus proprios in fabellas transtulit
calumniamque fictis elusit iocis.
Ego *porro* illius[1] *semita⟨m⟩*[2] *feci viam*
et cogitavi[3] *plura quam reliquerat* . . .

ubi Speyerus quidem illo *altero* valde desiderato iterum lacunam

---

[1] *illius porro* cdd.; alii verba aliter transposuerunt.

[2] supplementum rectum esse (id quod Prinzius [v. p. 5 [2]] p. 21. negat) aetate nostra demonstratum est per 𝔑, cuius verba Havetus adscripsit.

[3] vulgo (sic etiam Havetus et Prinzius p. 22.) perperam asyndetum *excogitavi* restituitur. Pro verbo simplici loco compositi adhibito cf. Thes. in vol. III. p. 1468,49 ss. v. *cogitare* „latiore usu, i. q. *excogitare, disponere*“, supra lin. 19 s.: „speciatim de inventione, potissimum rhetorica et poetica sim.“

designat (post v. 37.). Miror, quod haec res ei non movit suspicionem. Si neque in epilogo libri II. neque in prologo libri III. poeta Romanus commemoratur, qui ante Phaedrum fabulas Aesopicas scripserit, nemo fuit[1]. Accedunt loci hi:

IV pr 10 *fabulis,*
(quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
quia paucas ille *ostendit,* ego *plures fero*[2] . . .),
22,8 *invenit* ille (cf. v. 4.), nostra *perfecit manus*[3]
V pr[4]1 Aesopi *nomen sicubi* interposuero . . . .

Ergo nego esse, quin versum II pr 4. versus

Quoniam occuparat alter . . . .

subsequatur.

Haec hactenus de Speyero. Nunc ad Havetum transeamus. Is inter v. 11. et 12. lacunam esse censet — ne haec quidem opinio nova est, quamvis Haveto videatur (§ 110.). Non primum se versus 1.—11. et 12.—19. cohaerere negare ex Schwabei editione II. (Brunsvigae a. 1806.) videre poterat Ibi in excursu (I.p.574.) legitur ei palmam praereptam esse CC annis ante a Kohlio (a. 1727.; [v. p. 23[5].] in § 5.), qui eadem deliberatione movebatur[5]. Viri docti duo quae attulerunt argumenta refellere nequeo; mea quoque sententia „epilogum" libri II. Phaedriani in partes duas dividi oportet.

Sed quid parti posteriori faciamus? Versus Phaedro indignos esse vix quisquam concedet Kohlio[6]; suo iure Havetus eos genuinos

[1] at Phaedro si non poetam Latinum attamen Aesopum accuratius definire opus fuit. Minime. Nam brevitati se studere (Thieleus a. 1908. in Hermae vol. 43. p. 357.) monet. ***brevi docebo*** v. 34. hoc est: „paucis verbis", tamquam: „uno enuntiato" inquit „exitus quaestionis continetur". ***brevi*** bene quadrat ad 3½ versus, Speyerum „complures" addere admodum miror.

[2] sic vulgo pro ***dissero***; ceterum vox prima versus ***quasi*** traditur.

[3] scriptorem fabellarum alterum Romanum in hoc potissimum carmine ei non liceret silentio praeterire, si quis esset, haec dicenti:

3 ***quicquid putabit*** (livor) ***esse dignum memoria,***
Aesopi dicet; siquid minus adriscrit,
5 ***a me contendet fictum quovis pignore.***

[4] hoc carmen sic iure vocari negat Heidenhainius a. 1900. in eph. q. v. ***Neue philol. Rundschau*** vol. 2. p. 110.

[5] ostendit „hiatum" esse post v. 11. nullumque cum superioribus conexum neque sensus neque verborum.

[6] qui gravissimam offensionem non vidit, v. 17. dico, quem post Bentleium multi germanum esse negaverunt; de forma syntactica cf. p. 50.

putat, qui partem priorem non esse epilogum, sed fabulam 9. libelli sibi persuasit; post hanc magnum fabellarum numerum intercidisse. una cum eis initium quoque epilogi. Post lacunam servatos esse versus II pr 12.—19., quos versus 8 ut continuare epilogum, ita ad finem non adducere. Sed finis epilogi non omnino desideratur; Havetus prologo libri III. eum stulte agglutinatum esse (ibi v. 33 ss.) contendit. Eo pervenisse folio uno archetypi transposito; opus esse nos ex versibus II ep 12.—19. et III pr 33.—63. unum carmen facere.

Sed versus III pr 33.—63. sive in codicibus suo loco sunt sive minus[1]: eis poetam olim locum eundem dedisse atque Havetum incredibile est. Legas quaeso Haveti fab. 43.: miraberis de monstro. Huncne esse epilogum? Versus vehementes et atroces:

fatale exitium corde durato feram,
donec fortunam criminis pudeat sui

quibus verbis aptiora ad exitum libri non possunt cogitari[2], subsequendam Phaedrum curavisse, antequam opusculum finiatur, explicationem *(docebo* 43,10. Hav. = III pr 34.) de origine fabellarum sedatam. Atque quid tempus futurum *(erit* v. 22. = 46.), quid praesens, quo de proposito suo poeta narrat (v. 26s. = 49s.), sibi volunt in fine libri?

Nec minus reicio coniecturam alteram Haveti. Versus 1.—11. numquam medio in libro positi fuerunt. In libro II. lacunam esse ego quoque pro comperto habeo[3]; ubi sit, haereo; post versum

non tamen eripiet laudis conscientiam

statuendam esse eam nego. Etenim ℜ statuam Aesopi in sylloga extrema commemorat. Havetus eum versus 1.—11. „fecisse“ adnotat epilogum operis sui — nonne multo veri similius est eum apud Phaedrum eos in epilogo libri alicuius legisse, praesertim cum in epistolas syllogae promissas duas et in epilogum non nisi ex prologis epilogisque loci Phaedriani recepti sunt, ceteris fabellis. quibus poeta de se ipse agit, non respectis? Ergo etiam ℜ versus

[1] Havetum eos iniuria movisse Prinzius (v. p. 5[2]) mihi probavisset, nisi antea ipse intellexissem.

[2] immo verba *fatale exitium* pro iniquiore censura Kohlio ferociora visa sunt, quam quae Phaedro darentur; sed is nimius ut est in superbia sic in stomacho. Fuerunt, qui *exitium* emendarent, locutionem eam quidem grandiloquam, sed quae non magis offendit quam *cordc durato.*

[3] ob numerum apologorum versuumque parvum.

de Aesopo II ep 1 ss. in fine libri legit sicut nos. Atqui simul v. 12 ss. esse epilogum libri eiusdem contendi, v. 1.—11. et 12.—19. cohaerere negavi. Quam igitur inter partes duas intercedere rationem iudicemus?

Duarum rationum mihi in mentem venit.

Possis conicere hic recensionem duplicem investigari. An Phaedrus libros I. et II., cum III. in lucem emitteret, denuo publici iuris faciens occasione usus est iudicium ferendi de eis, qu' carmina carpserant? At versus prorsus eum significant, qui primum „laborem“ suum edat. Fac ipse iam olim eiusdem operis causa invidiam toleraverit: nonne expectemus eum additurum fuisse *iterum*[1]? Et locus is ad criticos spectans nonne magis idoneus fuerit in prologo libri novi, ubi v. 40. de fortuna fabellarum refert?

Opinio altera sed similis mihi oblata est, cum a. 1909. in Hermae vol. 44. p. 600 ss. commentationem ingeniosam FLeonis legerem, quam inscripsit *Doppelfassungen bei Iuvenal.* Ex me ipse quaesivi, num apud Phaedrum versus 8.—11. et 12.—19. duo conamina sint, quorum alterum poeta primo in opus recepit, alterum sive ipse postea composuit carmen emendaturus, sive antea compositum reiecit, tum in scriniis mortui inventum amici addiderunt epilogo priori, ne qui versus poetae perirent. Sed hoc quoque falso mecum deliberare brevi animadverti. Etenim agedum statuamus de Phaedro idem ac de Iuvenale: apud hunc recensionum duplicum ubicumque alteram dempseris, alteram nullo negotio inserere poteris. Sed in carmine Phaedriano res aliter se habet Versibus 8.—11. deletis si v. 12 ss. versum 7. continuant, particulam copulativam desideramus, cum *quodsi* v. 8. huic desiderio optime satisfaciat. Praeterea ideo cogitari nequit poetam ullo tempore pro versibus 8.—11. versus 12.—19. ponere voluisse, quia initium quo tendat eis non sequentibus nullo pacto intellegitur Cur tandem Phaedrus statuae Aesopi mentionem facit nisi ut suos cives moneat, si labori suo docto[2] faverint i. e. ipsum praemio tali similive donaverint, alios quoque intellecturos esse viam honoris

---

[1] idem argumentum de alio loco disputans Rankius a. 1911. in Mnemosynae vol. 39. p. 54. affert.

[2] de hoc epitheto, quod Kohlius insipienter adhibitum esse censet, cf Prinzium (v. p. 5[2]) p. 25. adn. 1.

patere, quo factum iri, ut eis ad litteras colendas excitatis Latium Graeciae plures opponere possit[1]. Quae si non dicit, initium carminis supervacaneum est.

Ergo versus 1.—11. et 12.—19. iuxta et deinceps positos, etiamsi non unum carmen facientes, tolerari oportet. Relinquitur, ut pars illa prior sit carmen ultimum libri II. iam epilogi in modum formatum, deinde ut sequatur epilogus verus.

Atque hunc mutilatum esse nego. *tuas* v. 12. ad neminem referendum est nisi ad quem in prologo libri eiusdem *accipias* (v. 11.) et *attende* (v. 14.) i. e. ad lectorem (ib. v. 11) quemvis[2]. Etenim hanc vocem deesse posse etiamsi negat Kohlius, demonstratur carminibus Martialis III 1 et XIV 1. 2.

Atque volumine ad umbilicum adducto poeta verba nonnulla facit ad lectores, quos librum modo confectum ad id loci legisse auresque sibi praebuisse animo praecipit[3]. Pronuntiandum enim est *ad aures pervēnit tuas* v. 12., non *pervĕnit*[4], quoniam *-venit* in pede 5. est[5]. Quemadmodum autem cum tempore perfecto

---

[1] attende arrogantiam poetae. Se dignum existimat Aesopo ut Vergilius Homero, Horatius Alcaeo dignus est. Horatianum illud *quodsi me lyricis vatibus inseris* sententiam similem exhibet.

[2] Havetus II pr 12 scripsit †*Illi*, (perperam post *lector* v. 11.) virum certum appellari opinatus cum in prologo tum in epilogo, ubi eius nomen in parte deperdita fuerit (postea id indagavit: etiam 43, 14 †*Illi* restituit a. 1896. in eph. q. v. *Revue de phil.* vol. 20. p. 178 s.) Ego *illi* quod multis editoribus difficultates praebuit ad *varietas* (v. 10.) refero et *gratia* verto *Reiz*, *Anmut*; versus sensum hunc esse arbitror: „ea lege, ut varia canens brevis sim itaque suavis, ut decet, ad audiendum".

[3] confero genus dicendi in epistulis usitatum, in quibus verba tempori ei adaptantur non quo scribuntur sed quo eas lectum iri expectatur.

[4] qua de re non semper recte iudicatum est. In locutione *ad aures pervenire* nihil inesse verecundum, cuius gratia hominem certum a poeta appellari cogitemus, ex locis frequentibus Thesauri vol. II. p. 1513, 38—54 apparet. De ἀναγνώστῃ quodam cogitare opus non est, quia ne apud Eutychum (III pr) quidem talis commemoratur (semper *legere* dicitur). Solebant antiqui alta voce legere, id quod nunc iterum Nordeni opera accepimus (v. libri, quem de artificioso genere scribendi antiquo composuit, vol. I. p. 6. et supplementa ed. II. p. *1.*), cui usui hic quoque locus testimonio est.

[5] Haveti de pede 5. decretum (in § 42ss.) Speyerus p. XI. meris ineptiis impugnat (neque enim agitur de Terentii usu, sed de Phaedri usu; quid igitur momenti Terentius ad hanc quaestionem disceptandam habet?); ratione

congruit praesens verbi *sentit* v. 13.? Non haeremus[1], dummodo poetam tempus id praecipere teneamus, quo legentes libellum manibus habituri sint. Fabellae lectae sunt; poetae interest, quam censuram lector acturus sit. Cuius si animus qui iudicium exercet, tunc i. e. postquam librum percurrit, sentit[2] (αἴσθησιν ἔχει) fabulas esse carmina artificiosa, Phaedrus gaudet. Verumtamen — haec deinde secum reputat — non omnes, qui legent, plaudent. Eorum quoque ratio habenda est. Iam praenuntiat eis sententiam suam nec se haud ita bene de eis existimare celat (v. 15.—17.), etiamsi primum opus in publicum emittens iracundiam in criticos, si qui futuri sunt, evomere non audet[3], sed satis habet dicere: „Qui me carpunt, rabulae sunt maledicuntque eo quod inferiores se esse sentiunt[4]".

Hunc in modum versus 12.—19. ex animo Phaedri interpretatus ostendisse mihi videor ex eis constare non frustum epilogi sed epilogum plenum ab omni vitio vacuum; quo poeta respicit sive ad syntaxim librorum I. et II. confectorum, si eos simul edidit, sive ad librum II., cui operi v. 1.—11. adnumerandi sunt.

Sic omnes difficultates tolluntur. Phaedrus v. 1.—11. et 12.—29. deinceps scripsit; cum hos componeret, illos memoria tenebat — itaque sententias similes reddidit. Forsitan inter car-

---

rectiore Heidenhainius (v. p. 31[4].) p. 107. disserens in Phaedro non talem artem et subtilitatem esse atque in Seneca; ego exempli gratia id contra Havetum moneo, quod apud ipsum in pag. 178. extrema lego de discrepantia inter duos poetas.

[1] hoc dico, quia Zornius (v. Hav. p. XII.) haesit.

[2] *si* . . . . *pervēnit* . . *et* . . . *sentit* coordinatio pro subordinatione est.

[3] postea cum fabellae iam non patrono egerent, sed Eutychi et Particulonis nomina libris novis decori tutelaeque essent, pudore posito invidos alloqui non veritus est (cf. carmen arrogantissimum IV 7.).

[4] se misereri fere simulat eorum, quasi ars carpendi non eis sit culpae tribuenda, sed naturae, a qua sint praediti ea, sperare se autem fore diem, quo natura hac dote sublata efficiat, ut quam debeant laudem reddant. Interim se calamitatem ut virum deceat toleraturum esse. Ad *crimen fortunae*, quam vocem Kohlius reprehendit, cf. Ov. Met. III 141 s. (de Actaeone) *At bene si quaeras*, fortunae crimen *in illo*, Non scelus *invenies*. Locum debeo Burmanno; alterum citat Schwabeus. Adde Quintil. VI prooem. 13: *frustra mala omnia ad* crimen fortunae *relegamus*.

mina duo spatium quoddam intermittendum et epilogum in umbilico voluminis ponendum curaverit, ita ut lectorem v. 12. se appellari fugere nequiret. Etenim ne obliviscamur olim minime medio in corpore Phaedriano fuisse hos versus, sicut nunc sunt. Sed postea cum quid spatium sibi vellet iam non intellegeretur, quoniam libris reliquis sequentibus carmen non ultimum erat, librarii materiae parcere cupierunt; tituli carminum autem procul dubio nondum erant[1]; quo factum est — fortasse brevi post poetam — ut ex carminibus duobus fieret unum, quod cum tituli adderentur *Auctor* inscriptum per tot saecula libri epilogus habitum est.

III 6,5.9.

Musca in temone sedit et mulam increpans
„Quam tarda es“ inquit [et] „non vis citius progredi?
Vide ne dolone[2] *collum conpungam tibi.“*
Respondit illa: „Verbis non moveor tuis;
sed istum timeo, sella qui prima sedens (me regit).“

Versui extremo emendatione opus esse nemo ante Havetum cognovit. Sed is cum Phaedrum pronomen demonstrativum secundae personae recte adhibere observaverit, offendit, quod hic *istum* non ad personam secundam pertinet[3]. Memoria Romulea (fab. 47. Th.) verbum vix confirmatur; nam ut legitur in codice W ita in reliquis codicibus ad unum omnibus aliud pronomen extat (*huius* aut *illum*); ergo *iste* a Romulo primario alienum est, immo in W postea ex Phaedro irrepsit, qui codex interpolationes tales cum ubique exhibet tum in fabula de qua disputamus paululo ante vocem suspectam (cf. Thielei textum). Sed Phaedrum quoque *istum* non scripsisse suo iure Havetus contendere mihi videtur[4], etsi quam apud eum lego emendationem

---

[1] Havetus aliter iudicat, coniecturae gratia quam pro IV 2,4 excogitavit.

3 ***Sed diligenter intuere has naenias:***
quantam sub ti(tu)lis ***utilitatem reperies***

Sed in Enchir. crit. § 1547. ipse eos titulos, qui aetatem tulerunt, antiquos non esse concedit — ergo opinio eius fide eget. Versum integrum esse infra (p. 44 ss.) primus ostendam.

[2] sic Pithoeus pro ***dolose.***

[3] hoc Festa (v. p. 15.) iniuria negat.

[4] etenim locorum ratio est 9:1; enumerat hos locos I 23,7. III 8,16.

magistrum timeo . . .
probare vereor litterarum ductibus a lectione tradita nimium stantibus. Ego legere malo

sed ipsum . . .

ubi *ipse* sit *dominus* secundum usum notissimum. Quae medela ha scio an lenior sit, praesertim cum pronomina saepe inter mutentur; apud Phaedrum *ipsis* pro *illis* I 30,6 restituit Botheus p: bante Haveto. At *sed* quoque tollendum esse ei concedere noli Nam hoc enuntiatum est antecedenti oppositum[1] et particul: adversativam memoria Romulea universa praebet.

Addo aliquid de fine narrationis. Versum 9., qui in lib potioribus sic traditur

nam ubi tricandum et ubi currendum est scio

a Perotto sic:

ubi sit [glossea[2]. pro *tric*] *et ultro currendum scio*

Havetus in editione hunc in modum scripsit

satis ubi tricandum et ubi sit currendum scio,

postea a. 1900. in ephemeridis q. v. *Revue de phil.* vol. 24. p. 3(proposuit lectionem

ubi non tricandumst, ultro currendum scio,

qua lectione verba tradita gravius commutantur quam prio Perotti gratia. Atqui quamquam *ultro* bis terve apud Phaedr legitur[3], codices principales non vocem sed constructionem v(Phaedrianam exhibent: antithesim polaricam quam vocamus in recte interrogativam pendentem a verbo dicendi. Cf.

III 2,17 *memini, quis me saxo petierit,*
quis panem dederit.
13,14 *apertum est, quis non possit et*[4] *quis fecerit*[5]
A 24,6 *scio, quem lacessam, cui dolose*[6] *blandiar*

IV 11,5. V 2,8. A 16,4; adde quos iniuria mutavit versus V 4,5. A 10,12 (et 1 praeterea A 11,4 (*istud* = id quod modo dixisti).

[1] *verbis non moveor tuis* est „te non timeo"; cf. 𝔑.

[2] MMohrius in ea commentatione, quam Havetus commemorat (i non vidit) — est progr. invit. gymn. Muenstereifel. — p. IX s. *tricandum* lec nem germanam esse evincit.

[3] unde Perottus *ultro* arcessiverit, p. 42[5] dicam.

[4] sic NV melius (ob III 6,9) quam Pρ (*aut*).

[5] cur Havetus coniecturam admiserit, non intellego.

[6] sic Nauckius pro *dolosa*.

A 29,10 *non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.* Ergo *ubi* . . . *et ubi* . . . *scio* III 6,9 intactum relinquendum est. *nam* autem quod cur sensus causa Haveto displiceat ignoro[1], facile ut versus sanetur[2] suppleri potest in *namque*, quod verbum Phaedrus plus uno loco habet et ex. gr. I 23,7; III 10,45 cum synalympha in semipede 1. Itaque coniectura vetus sine dubio recta est. Restat ut de verbo enuntiati interrogativi disputem. Hac re Perottum Phaedri genuini vestigium servavisse negari non potest; nam indicativus modus in interrogatione indirecta ab usu Phaedriano prorsus abhorret. Restitutus igitur est hic versus

nam⟨que⟩ ubi sit tricandum et ubi currendum scio

qui versus cur tangatur nihil est[3]. Havetus in ed. *sit* transposuit post *ubi* alterum — an hoc *ubi* sub ictu esse voluit, quoniam prius sic positum est? Verum haec regula etiam ad exempla duo priora quae modo attuli non cadit atque constat poetas varietati accentuum tali studere, quo de more a. 1816. Lachmannus in ed. Propertii maiore p. 111.—113. disputavit. Ex Phaedro haec exempla collegi[4]

I 9,9 *qui modo securus* nóstra *inridebas* mală
simili querela fāta *deploras* tuá
12,12 *iubetque* vócem *premere. Tunc ille insolens*
„*Qualis videtur opera tibi* vocis *meae* . . .[5]“

---

[1] Festa (v. p. 15.) haeret in enuntiatis duobus a particula causali incipientibus (*quapropter* . . . *nam* . . .) Sed haec est sententia: „*Quapropter* — quod magister me regit — praecepta tua insolentia supervacanea sunt; *nam* ipsa quid faciam haud ignoro.“ Praeter necessitatem igitur Festa *iam* pro *nam* scribens — quid hic sibi vult *iam*? — versum 9. ante 8. collocavit.

[2] nam sanandus est; *năm ŭbī*, quod Havetus in § 28. proponit, legere non licet, quia exempla hiatus certa et *ŭbī* prosodiae apud Phaedrum desunt; semper *ŭbĭ*, et in sede versus eadem V 1,14 „*Hūnc úbĭ tyrannus* . . . Non magis stat metrum, si emendationem Festae (p. 38[1]) accepimus.

[3] *et*, proclisi utitur, ita ut *et ubi* ⏑́⏑|⏑ in unam vocem coalescant, sicut *ád eum* I 21,5; plura exempla exhibet Havetus in § 22. Sed dixerit quispiam in lectione mea rhythmum *trícand(um)* haud ita suaviter aures tangere. Habeo exemplum: *érrōr(e)* A 21,7; *tricandum et ubi* synalympha et proclisi in unam vocem coalescunt, cuius accentus legitimus est, sicut ibi *érrore haesisset.*

[4] verba longius distantia non respexi.

[5] non variant accentus I 13,8 s.; III 3,13; A 18,6 . . .

I 24,6 illí *negarunt*
8 ílli *dixerunt bovem*
II 8,12 eúnt *subinde et* rédeunt
III 4,4 „quale“ *inquit* „*caput est* tális *praestatur sapor*“
7,25 *age si quo abire* est[1] *animus* ést *licentia?*
12,7 nec tíbi *prodesse* néc mihí *quicquam potes*
17,12 *nisi utile* est *quod facimus stulta* est *gloria*
ep 7 *labori* fáber *ut desit non* fabró *labor*
IV 7,22 *si* néc fabéllae *te iuvant* nec fabulae
25,17 nihíl *laboras? ideo, cum opus est,* níhil *habes*
ep 8 *quae commendari* tánto *debet iustius*
quantó *poetae sunt molesti validius*
V 7,36 nívea *fascia*
niveísque *tunicis*, níveis *etiam calceis*
10,9 quod *fuimus*, *laudas*, ⟨*si*⟩ *iam damnas* quód *sumus*
(sim. A 29,10 *qui*)
A 9,10 *ex toto, nequid* scálpas, *quid desideras?* . . .
12 *licet horreum mi pateat, ego* scalpám *tamen.*
10,10 „*non ut labores facio, sed ut* istúm *domes*“
12 *tu nisi* ístum[2] *tecum assidue detines*[3]
15,9 „*sponda* céssabít tua“
„*at non* cessábunt *latera*“ *respondit* „*tua*“
25,4 „*places tibi*“ *inquit* „*quia cui non* debés *places*;
sed non impune quia cui débes *non places*“

Quos qui secum reputaverit versus, non dubitabit, quin III 6,9 *sit* transponi non oporteat, sed versus hic

---

[1] cdd. *est abire;* Havetus a. 1900. in eius ephemeridis quae inscribitur *Revue de phil.* vol. 24. p. 300 s. perperam

age siquo est animus, est an non licentia?

[2] in hoc verbo Havetus haeret. Sed manifestum est poetam (non librarium quendam) consulto verbum id, quod in narratione parabolae adhibuit, iterum adhibere in interpretatione. Nam quod de vitulo narratur, ad filium spectat. *iste* idem valet ac *tua proles*; cf. A 16,4, ubi de prole tamquam adoptiva agitur:

istorum voltus namque si consideras.

[3] sic Iannellius pro *retines.*

nam⟨que⟩ úbi *sit tricandum et* ubi *currendum scio*
integer sit[1].

III 7,10

In fabula III 7[2] canis a lupo interrogatus, quodnam officium sibi praestandum sit, si bonis paribus frui cupiat, respondet:

9 „*Custos ut sis liminis*
a furibus tuearis et noctu domum

ubi Havetus in *et*[3] adeo haesit, ut *ei* scriberet, quam voculam hic et aliis locis duobus pronuntiari iubet *ej*. Sed cum ibi quoque eam coniectando demum restituerit, ego de hac prosodia prorsus dubito et, cum *ei* in codicibus Phaedrianis nusquam extet, nos vetari opinor vocem hanc copiae verborum scriptoris inserere. Accedit, quod *ei* versui III 7,10 conveniens non est. Ad quem spectat? Nimirum ad dominum. Verum haec vox longius abest nec de ea in parte priore responsi canis (v. 9 b) admonemur; facile possis putare *ei* ad *limen* spectare.

At *et* quemadmodum explicandum sit, iam commentatores veteres intellexerunt et nuper contra Havetum Speyerus docuit: est more poetico transpositum. Is addidit locum similem Phaedri:

A 29,6 *en cuncta! levitas putris* et *volito cinis.*

Sed hoc genus loquendi in fabellis aliquanto latius patet. Ego affero exempla haec:

---

[1] idem perspiciet Draheimium (v. Hav. ad loc.) versum quem modo citavi A 25,4 corruptum ob accentus censuisse iniuria.

[2] cuius finem Thieleus nuper p. XXXVIII. s. (iam a. 1908. in Hermae vol. 43. p. 358. adn. 2.) reprehendit, quod eum falso intellegit. Versibus 21.—24. non describitur, quemadmodum canis sub vesperum vivat, sed quemadmodum interdiu. „Cave putes“ inquit „me cibo egere, quia interdiu praedari nequeo“ (cf. *sine labore* v. 24.). Quid versus sibi velint, iam a. 1800. FJacobsius vidit (in operis quod inscribitur *Nachtraege zu Sulzers . . . Theorie der schoenen Kuenste* . . . vol. VI 1. p. 78.; in ed. Schwab. II. vol. I. p. 261.): canis hac descriptione (nec non iam v. 20.) efficere conatur, ut lupus versum 18. obliviscatur. Tum is hymnum incidit — post v. 24. ego interpunctionem dempserim —: „Dic id, quod audire unum mea interest: Siquo abire cupis licetne tibi?“ Fuisse recensionem Phaedrianae parem Graecam ex Aviani fabella eiusdem materiae (37.) colligo, ubi v. 7. ∾ Phaedr. v. 17.; 8. ∾ 18s.; 9.—12. ∾ 21.—24. sunt (attende v. 12. *faciles . . . dapes*).

[3] voculam Perottus omisit, ne versus plus 12 syllabas habeat (Hav. p. 287.)

I 2,6 *cum tristem servitutem flerent Attici*
— non quia crudelis ille, sed quoniam gravis
omnino insuetis — onus et *coepissent queri*[1] . . .
9,3 *oppressum ab aquila, fletus* et *dantem*[2] *graves*

(aliis locis, ex. gr. II 4,7, *et* transpositum idem valere potest atque *etiam*)

I 21,2 *ignavis* etiam *iocus est in casu gravi*
V 7,36 *nivea fascia*
niveisque tunicis, niveis etiam *calceis*
A 5,10 *urnis scelestas Danaides portant aquas,*
pertusa nec *complere possunt dolia*
IV 11,19 *secundum ostendit scelera non ira deum,*
18 *fatorum dicto* sed[3] *puniri tempore*

Ne has quidem traiectiones[4] admittere scriptor veritus est, quibus sensus valde obscuratur:

I 8,1 *qui pretium meriti ab inprobis desiderat,*
bis peccat, primum quoniam indignos adiuvat,
inpune abire deinde *quia iam non potest.*
IV 26,1 *quantum valerent inter homines litterae*
dixi superius; quantus nunc *illis honos*
a superis sit tributus [et] tradam memoriae.

Ergo Havetus iniuria III 7,10 in *et* transposito haesit.

III 17,10

tunc sic deorum gentium atque hominum sator

Omnes editores principem secuti scribunt *genitor* pro *gentium*, quam lectionem deteriore quoque in memoria extare nunc accepimus[5]. Tres tantum editores Germanici[6] recusaverunt, quominus *genitor* acciperent: Lucianus Muellerus in ed. mai. et Stowasserus

[1] v. 7. multi falso tractaverunt (Hav. in § 15.) traiectionis ignari.

[2] textum sic restituit ex 𝔄 Muellerus a. 1877. probante Haveto; in P est mendum grave.

[3] exemplum *sed* transpositi III 3,1 pessime traditum omitto.

[4] etiam particulas subordinantes insolitum in modum transponit: cf. *ut* II pr 3, ep 3; A 1,2; *ne* I 23,8; *cum* III 13,4; V 4,1; *simul* III 14,3; *an* IV 9,6.

[5] at R cum P consensit.

[6] Gudeus, qui ⟨*in*⟩*gentium* proposuit (idem postea Stowasserus), Phaedrum non edidit.

et quem nuperrime Housmannus (v. p. 5[2]) citavit nomine non addito[1]. Doleo, quod Muellerus neque Haveto neque Housmanno persuasit, quorum ille *genitor* iterum tacite in textu posuit, hic interpretatione nova defendit. Itidem ac Muellerus, cuius adnotationem p. 106. ignorare videtur, iure negat *genitor* ante *sator* idem significans tolerari posse; proinde vocem ad *sic* (scil. *locutus est*) trahit et ab hoc subiecto enuntiati *deorum atque hominum sator* pendens facit ut appositionem, i. e. quasi verborum ordo hic sit: „*Tunc sic genitor* (*Minervae*), *deorum atque hominum sator*". En locutio Vergilio par: Aen. I 254[2] (et XI 725):

(*olli subridens*) *hominum sator atque deorum.*

Verumtamen ego praefracte nego[3] quemquam legentium verba

tunc sic deorum genitor atque hominum sator

ita intellegere posse, ut Housmannus vult, atque eo praefractius nego, quod lego IV 19,22

consedit genitor *tunc* deorum *maximus*,

quem versum ab Haveto allatum, in quo nihil est, quod *genitor deorum* offensioni sit, Housmannus nescio quo pacto non respexerit[4]. Hic *genitor deorum* voces coniungendae sunt, quamvis voce alia divellantur — ibi divellendas esse nulla voce interposita quis credat? Non potuit Phaedrus tale admittere. Si scripsit III 17,10 *deorum genitor*, has voces coniungi voluit.

At scripsitne re vera? Teneamus opus est *genitor* in codicibus melioribus prorsus non legi, et quod iam editor princeps hanc lectionem ex *gentium* elicuit, nobis documento satis esse decet, quantam auctoritatem testimonio codicum reliquorum tribuamus. Quid multa? Perottus *genitor* eodem ex fonte hausit ac Pithoeus: ex IV 19,22[5] atque *genitor* III 17,10 est interpolatio fide indignissima.

---

[1] CWNauckius, cuius ad IV 9,6 mentionem facit, non est.

[2] quem locum iam affert Gudeus.

[3] quamquam Housmannus hoc argumentum providens exemplis refellere conatur.

[4] inde procul dubio Pithoeus emendationem suam repetivit.

[5] quem apologum in syllogam recipere veritus est ob argumentum inhonestum sicut exempli gratia IV 24 (Hav. p. 286.). Suspicor etiam V 5,20

nihil est repertum, multis onerant lancibus

et Perottum et Pithoeum emendationem *laudibus* falsam ex IV 25,24 prompsisse

eorum qui se falsis ornant laudibus.

Hac de re Muellerus, etsi ad IV 19,22 non allegavit, rectius iudicavit quam Housmannus. Sed *coepit*, quod pro *gentium* proposuit, reicio. Iuppiter tunc temporis non *coepit* loqui; antea iam locutus erat. Quo modo Phaedrus *coepit* utatur [1], duo loci demonstrant:

I 13,5 *vulpes hunc vidit; deinde sic* coepit *loqui*

IV 25,3 *Musca sic* coepit *prior*

Sed utut hoc mendum sanandum est, nec *genitor* lectio germana est, et certae sunt voces: *deorum . . . atque hominum sator*, quibus non dubito quin Phaedrus consulto locutionem Vergili illam imitatatus sit, quam modo citavi. Alteram imitationem Thieleus a. 1906. in Hermae vol. 41. p. 574 s. observavit [2]; ego etiam verba IV 23,18

17 *Forte Clazomenae prope*

antiqua fuit urbs; *quam petierunt naufragi*

non casu initio illi narrationis Vergilianae

Urbs antiqua fuit, *Tyrii tenuere coloni*

paria esse putaverim; nam quid refert, utrum Clazomenae urbs antiqua sit necne [3], et Carthago quoque in Aeneide a naufragis petitur. Atque III pr 27 imitationem Vergilianam deprehendi nemo negare potest. Neque vero sententiam certam de IV 23,18 ferre audeo; venia mihi detur, quod coniecturam meam silentio praeterire nolui.

II 6,15 *divisit dapem* correctio perversa *dimisit* Perotti nititur, ni fallor, in I 4,6, ubi in eadem sede versus est *dimisit cibum* simillimum. III 7,9 *ultro* ante *currendum* inseruit, quia II 8,6 legit: *infelix* ultro *qui ad necem* cucurreris. IV 21,23 idem glossema exhibuit ac III 3,13. — Havetus in Enchir. crit. § 97. eas emendationes Pithoei enumerat, quae codicibus Perottinis confirmatae sunt — omnes fere minutiae sunt, quas nemo primum legens non restituit; loci tales qualis est V 5,20 praetereuntur (nec non III 17,10 — num consulto?)

[1] de *coepit* disputant Thieleus p. CXII. et Nordenus in Isagogae vol. I. p. 579.

[2] dissertatione mea ordini philosophorum tradita Thieleus in Herma partem III. Studiorum Phaedrianorum publici fecit iuris. Cum laetitia lego p. 386. de imitatione III 17,10 ∾ IV 19,22 inter nos convenire.

[3] nunc scio mihi *antiqua* non primo mirum esse. Nam Richterus (in ed. Raschigiana III. a. 1871.) hoc additamentum sibi explicandum esse duxit (explicatio eius perversa haec est: *Das Beiwort ist wohl gewaehlt mit Beziehung darauf, dass in einer alten Stadt am ersten Sinn fuer Kunst und Wissenschaft zu finden war.*).

IV 2,1—5

Carminis IV 2 initium p. 9. occasione data attuli. Proinde meum est exponere, cur versus plus uno loco corruptos

Ioculare tibi videtur et sane leve
dum nihil habemus manu calomo ludimus
sed diligenter intuere has nenias
quantam subtilis utilitatem repperies
non semper ea sunt quae videntur despici
frons prima multos . . . .

sic exhibuerim ut ibi leguntur, non lectionem vulgatam aut Havetianam secutus sim.

Havetus probantibus Speyero et Govio sic incipit: *Ioculare tibi videmur* . . . . conatus demonstrare fuisse in sermone Latino verbum *ioculare*. Nec vero ex uno loco Liviano (VII 10,13), quem affert, hoc apparet, quoniam *ioculantes* etiam a *ioculari* formari potest, nec glossae serae CGl II. p. 91. tantam auctoritatem tribuo, quae disceptet quaestionem. Si *ioculare* . . . *videmur* traderetur, acciperem, sed dubito apud Phaedrum verbum ἁπαξλεγόμενον restituere coniectando. Atque fac poeta infinitivum aliquem ponere voluerit (si *videtur* retinemus, *ioculare* est adiectivum notum): ei licuit *iocari* ponere, quod verbum solitum ipse ter adhibet (I pr 7; II 5,23; III 4,3), non erat opus confugere ad *ioculare* aut *ioculari* rarissimum. An Havetus in enuntiato tradito *ioculare tibi videtur* subiectum requirit? Subiecti loco est fabula praecedens tota sicut in epimythio V 9,5[1]

qui doctiorem emendat, sibi dici putet

quod exemplum quam fieri potest accuratissime respondet (Cunninghammius *hoc* inseruit), vel sicut obiecti loco narratio insequens est IV 18,2:

1 *Cum de fortunis quidam quereretur suis,*
Aesopus finxit consolandi gratia:
„Vexata saevis navis tempestatibus . . . .“

ubi *hoc* non minus desideratur quam IV 2,1[2], quare multi — quo

[1] in Enchir. crit. § 1311. Havetus ipse dubitat, utrum infinitivus activus lectio genuina sit an passivus.

[2] *narrare* I 6,2 facilius absolute adhiberi potest. At comparari licet epimythium apologi II 4:

in numero Havetus quoque — versui subvenire conati sunt; sed alter locus alteri praesidio est.

Vocem extremam versus 1. *leve* omnes praeter CWNauckium (a. 1855.) mutant in *levi* Scheffero suadente, qui hoc adnotavit „*levi calamo* dixit ex Vergilio suo, qui sic ecl. 5,2: *tu calamos inflare leves*“. Nostra aetate hanc esse imitationem vix quisquam credet similitudo nimis parva est, praesertim cum inter calamum (sic apud Phaedrum quoque v. 2. legendum esse nemo non videt) Vergilianum et Phaedrianum nihil commune intercedat. Ibi agitur de tibia rustica, hic de stilo scriptorio. Quid quod Vergilius *tu calamos inflare leves* illi proprie opponit *ego dicere versus*. Coniecturam tam bene commendatam editor alter ab altero accipit. Quid tandem est, quod a *leve* discedamus? *Ludere* transitive adhibent cum poetae alii tum Phaedrus

A 31,1 *hoc qualecumque est, Musa quod ludit mea*

Atque *leve* hoc scite opponitur[1] *maius* illi, quod sub *manu* v. 2 corrupto latet[2]. Ne quis autem mihi exprobret κακοφωνίαν finis „. . . *sané levé*“ (ceterum est —*é* —*é*), ad haec exempla allego:

I 1,10 „*ante hos sex menses malé*[3]“ ait „*dixistí mihí*“
18,6 „*minime*“ inquit „*illo posse confídó locó*“[4]
III pr 40 *in calamitatem deligens quaedám meám*

---

quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
documentum habere stulta credulitas potest

in quo post alios Havetus pronomen requirit, quo ad narrationem praecedentem allegetur, nec non IV 21,14 et 18:

„*Nolo irascaris*“ inquit vulpis „*libere si dixero:*
dis est iratis natus, qui est similis tibi.“
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, ...

[1] quod iam Schwabeus monuit.

[2] *maiius* scripturam ineptam Havetus in Enchir. crit. l. c. (v. p. 44[1]) non iteravit.

[3] de hoc versu (*ait male* cdd.) p. 11. breviter egi.

[4] ad hanc fabulam, quam ego aetiologicam esse puto (de hoc genere disserit Thieleus a. 1908. in Nov. Annal. vol. 21. p. 380. 389s.) cf. initium libri Georgii Samteri, qui inscribitur *Geburt, Hochzeit, Tod* (a. 1911.), maxime p. 15ss., ubi leges medicos Graecos itidem egisse ac virum fabellae.

IV pr 16 *imitari dum non possit, obtrectét licét*
5,22 *lavationem argenteam, eunuchós, glabrós*
A 3,9 *barbatum ut videat natum quam primúm suúm*
25,4 *„places tibi“ inquit „quia cui non debés placés“.*

In v. 4., ubi pro *repperies* legendum esse *reperies* apparet, pro *subtilis* vulgo legitur ex coniectura Pithoei *sub illis*, ab Haveto *sub titulis*, qua de coniectura p. 36[1] censuram egi. Lectionem vulgarem iniuria Haveto propter illud quod praecedit *has* offensioni fuisse Speyerus evincere studuit de usu anaphorico pronominis *ille* Phaedriano admonens. Atqui ex locis quos enumerat nullus accurate huic respondet, nec causam perspexit, quod Phaedrus pronomini *ille* adeo faveat: est, quod formae iambicae pronominis *is* metro suo ob accentum aptae non sunt: nullas habet praeter *ad eum* I 21,5 (v. p. 38[3]) et *eos* IV 19,9 (in pede primo). Sed IV 2,4 *sub iis* non peius versui satisfaceret quam *ad eum* l. c.

Proinde *subtilis* intactum reliqui. Vocem enim habet Phaedrus III 10,49 et A 4,2[1] atque vocativus, qui metro satisfacit, hic suo loco est, post *tibi* v. 1. et imperativum v. 3. Cf. *nasute* (ipsum quoque sine substantivo) in eodem libro (7,1; *lector Cato* ib. v. 21.); *disputator subtilis* inquit Cicero de off. 1/3 (plura exempla invenies in lexicis Mergueti s. v.), *subtilis veterum iudex et callidus audis* Horatius s. II 7,101; *sapiens subtilisque lector* Plinius ep. IV 14,7 (sim. 17,4 nec non Sen. NQ VII 3,2; Quintil. I 4,25.).

Reliquum est, ut de *despici* disputem. Omnes consentiunt Pithoeum hoc mendum recte sanavisse *decipit* suo, unus Havetus negat. Cuius ego argumenta refellam. Rarissime collocari contendit apud Phaedrum interpunctionem post semipedem nonum. Sed p. 155. ipse tria exempla affert. Secundum mendum *despici* pro *decipit* per se veri simile esse negat. Id ortum esse puto ita: *decipit* >*decipi* ut in fine versus (Hav. in Enchir. crit. § 558.; ex Phaedro cf. I 2,14; II pr 9; I V23,7; V 2,10.) >*depici*, sicut saepe exempli gratia *modo* et *domo* mutantur, >*despici*, ut vox iusta oriatur. Atque ad *esse* infinitivum post *videtur* desideratum cf.

---

[1] priore loco *perscrutatus* et *rimasset* satis accurate consentiunt cum *diligenter intuere*, altero *cura* cum *diligenter*. Addo *subtilis* et *utilitatem* etiam litteris consonare, quae consonantia *t* littera dempta sane infringitur.

III 7,20 *qua visum est vagor*
IV 25,7 *in capite regis sedeo, cum visum est mihi*
A 29,8 *quemcumque visum est, laedis . .*

ubi pari cum duritia ut ait Havetus subaudiendum est idem verbum quod in enuntiato regente est; similiter I 10,10 res se habet:

te credo surripuisse quod pulchre negas

Hoc in versu igitur licet in lectione vulgata acquiescere.

V 5,20s.

Apud scurram, qui vocem porcelli optime imitatus erat,

nihil est repertum, multis onerant lancibus
hominemque plausu prosecuntur maximo.

Sic codices, praeterquam quod in deterioribus loco vocis *lancibus*[1] glossema est[2]. Sed Havetus textum hunc tolerari posse negat, quod *hominem* aut utrique verbo iungi debeat aut neutri[3]; quo scrupulo cogitur versus sic immutare

nihil est repertum, multi honorant lancibus
omnesque plausu prosecuntur maximo.

Quas coniecturas silentio praeterissem, nisi Festa (v. p. 15.) Haveto offensionem iustam esse concessisset. Is eam leniore medela removere conatus scribit

multis onerant lancibus
hominem ⟨at⟩que plausu prosecuntur maximo.

Contra Festam moneo poetam nusquam *atque* ita ponere, ut duo enuntiata coniungantur, quorum prius etiam semipedem primum versus explet[4], contra Havetum — qui procul dubio non haereret, si verba hoc ordine legeret[5], quem Giovenazzius ap. Ianellium proposuit:

multis onerant lancibus
plausuque prosecuntur hominem maximo

---

[1] qua de voce cf. adn. Hav.

[2] quod Speyerus praeter rationem recepit. Unde Perottus interpolationem *laudibus* sumpserit. p. 42[5] dixi.

[3] idem deliberavit iam Giovenazzius, cuius emendationem modo in textu transcribam.

[4] I 16,5 et A 26,13 particula in hac sede versus occurrit, sed ibi rem se aliter habere neminem fallet.

[5] neque enim opus est eundem casum bis poni.

— tale zeugma minime rarum esse in sermone poetico. Exempla Graeca congessit nonnulla Wilamowitzius ad Eur. Herc. v. 237.[1] et 1091., Latina multa Leo in Analectis Plautinis prioribus (progr. Gotting. a. 1896. publici iuris facto); hic satis sint hi versus Tibulli, in quibus sicut Phaedr. V 5,20s. obiectum ἀπὸ κοινοῦ positum est:

I 1,11 *nam veneror, seu stipes habet desertus in agris*
seu vetus in trivio florea serta *lapis*

2,39 *nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natan,*
is Venerem *e rapido sentiet esse mari*

5,34 *huic paret atque* epulas *ipsa ministra gerat*

et haec exempla schematis huius, quae apud Phaedrum ipsum inveni:

II 4,5 *fraude et scelesta* sic evertit *malitia*

ep 7 *nec haec invidia, verum* est *aemulatio*

III 10,24 *dum quaerunt lumen, dum concursant* familia

12,6 *ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,*
nec tibi prodesse nec mihi quicquam *potes* [2]

13,6 *non inconveniens corpus et par* est *colos*

ep 26 *decerne, quod religio, quod* patitur *fides*

IV 11,12 *itaque hodie nec lucerna⟨m⟩ de flamma deum*
nec de lucerna fas est *accendi sacrum*

16,12 *applicuit virginale*[3] *generi masculo*
et masculina membra *applicuit feminis*

21,19 *qui ture superos, ipsum te* fraudas *cibo*

---

[1] ubi hoc schema notissimum hunc in modum definit: *„ein Satzglied, welches fuer zwei Saetze unbedingt noetig ist, steht erst beim zweiten“.*

[2] sic in codice Pithoeano recte legi demonstratur codicibus 𝔄 et 𝔑; cf. Hav. apparatum et nunc Thielei editionem. Perottus versus aliter constituit, quia *potes* ἀπὸ κοινοῦ positum desideratumque supra *possum* ei difficultatem praebuit. *potis* Muelleri ab Haveto probatum reicio; nam cum gradus positivus, vox prisca (Horatius in melicis et Catullus et Lucretius et Persius a Muellero p. 105. afferuntur), a Phaedro alienus est, tum comparativus antecedit (*potior* v. 6.). Quod persona prima alteri non praefertur, allego ad

I 16,6 *rapere atque abire semper adsuevit lupus*
tu de conspectu fugere veloci impetu,

ubi persona altera non praefertur tertiae, et quos modo afferam versus IV 16,12s„ ubi numerus pluralis singulari praefertur.

[3] *membrum* ex *membra* v. 13. supplendum esse iam Burmannus vidit; in codicibus legitur *virginali* per homoeoteleuton, sequente *generi.*

A 29,6 *en cuncta! levitas putris et volito cinis*
Quibus exemplis allatis mihi videor removisse quam Havetus Festa probante movit de V 5,20 s. dubitationem.

A 13,1

1 *Per aliquot annos quaedam dilectum virum*
amisit . . .

Muellerus, qui anno 1877. (v. Hav. adn.) *post* pro *per* proposuit[1], procul dubio nihil immutavisset, si modo solito verba versus ordinata essent sic:

Quaedam per aliquot annos dilectum virum.

Sed Housmannus (v. p. 5[2].) admonuit et de Verg. Aen. IX 85 *multos dilecta per annos* et quod ad ordinem verborum attinet, de loco quodam Livii (III 1,4). Ego Phaedrum ipsum exempla ordinis insueti complura exhibere censeo. Haec habeo:

I 13,3 s. *Cum* de fenestra *corvus* raptum[2] caseum *Comesse vellet*...
III 7,15 *Dum procedunt, aspicit*
lupus a catena collum detritum *cani*[3]
14,1 s. Puerorum in turba *quidam* ludentem *Atticus* Aesopum .
15,1 Inter capellas agno palanti[4] *canis* . .
IV 6,1 *Cum* victi mures mustelarum exercitu[5]
2 (parenthesis) 3 *fugerent* . . .
9 quos immolatos *victor* avidis dentibus
capacis alvi mersit tartareo specu.
19,4 furfuribus *sibi* consparsum *quod* panem *dare⟨n⟩t*
V 9,1 Angusto in aditu taurus luctans *cornibus*
cum vix intrare posset ad praesepia . . .

Iam nemo dubitabit, quin scriptor A 13,1 *per aliquot annos* ad *dilectum* trahere veritus non sit.

---

[1] *per* tolerari non posse ei concesserunt Havetus et Speyerus, quorum prior emendationem recepit (itidem Govius), alter *Ephesi* emendavit.

[2] *raptum corvus* Nauckius, ut eidem obscuritati medeatur, in qua Muellerus A 13,1 haesit.

[3] *cani* NV𝔄𝔑 (rec. gall. praeter codicem S); *canis* Pρ𝔑 (rec. vetus [*eius*] et codex S), fortasse rectius.

[4] sic Salmasius et Praschius pro *ballanti* confirmante 𝔑 *(vaganti)*.

[5] vulgo *exercitu⟨m⟩* (Bentl.) tractum ad *fugerent* procul positum.

A 28,1—5

Canes effugere cum iam non possit feber,
Graeci loquaces quem dixerunt Castorem
et indiderunt bestiae nomen dei,
illi qui iactant se verborum copia,
abripere morsu fertur testiculos sibi . . .

De ratione versuum scribendorum dubitatio esse nequit, sed interpunctionem novavit Havetus, commate post v. 2. posito, omisso post v. 3. Is, ni fallor, enuntiatum *et indiderunt bestiae nomen dei* non recte intellexit. Subiectum ad *indiderunt* pertinens non est *illi*, sed *Graeci*, ita ut hoc enuntiato continuetur enuntiatum relativum *Graeci loquaces quem dixerunt Castorem*, quamquam pronomini relativo a *feber* pendenti locus non datur, quicumque casus ex *quem* suppletur. Aliter res se habet in his exemplis:

I 22,10 *Hoc in se dictum debent illi agnoscere,*
quorum privata servit utilitas sibi
et meritum inane iactant imprudentibus.

II ep 15 *sin autem ⟨r⟩abulis doctus occurrit labor,*
sinistra quos in lucem natura extulit
nec quicquam possunt nisi meliores carpere . . .

A 5,8 *avari describuntur, quos circumfluit*
usus bonorum, sed nil possunt tangere

ubi ex *quorum* aut *quos* supplendum est *qui*[1], quam ellipsim vulgarem esse Schmalzius in Enchiridii Muelleriani vol. II 2. § 296. (ed. IV.) docet[2]; at exempla quoque talia, quale est A 28,3, offensione vacant, id quod Schmalzius in adnotatione eiusdem para-

---

[1] aliud enuntiatum relativum Phaedri, quod nemo fere (ne Thieleus quidem a. 1906. in Hermae vol. 41. p. 577.) recte intellexit, est hoc:

V 8,3 *quem* (sc. cursu volucri calvum) *si occuparis, teneas, elapsum semel non ipse possit Iuppiter reprehendere*

ubi *quem* pronomen etiam ad *possit* referendum est, ita ut enuntiatum relativum bipartitum sit — ergo post *teneas* comma ponendum est, non semicolum. Ceterum *teneas* est coniunctivus hortativus, non potentialis (sic CWNauckius vertens *halten kann [man]*; sed sequitur *possit*.).

[2] tamen fuerunt, qui versum I 22,12 emendandum, II ep 17 delendum sese censerent, atque ad A 5,9 CWNauckius explicationem falsam dedit.

graphi disserit[1]. Opportune accidit, quod Phaedrus ipse alteru servavit[2]:

V 1,9 *in quis Menander, nobilis comoediis,*
quas ipsum ignorans legerat Demetrius
et admiratus fuerat ingenium viri,

ubi post v. 10. Havetus suo iure comma omittit[3], quod pc A 28,2 addidit[4]. Hoc ex exemplo nobis discendum est, quema modum illud explicemus. Ad pronomen autem demonstrativu A 28,4 ante relativum positum, quo pronomine poeta ad *Gra* subiectum revertitur, cf.

IV 25,23 *Fabella talis hominum discernit notas,*
eorum qui[5] *se falsis ornant laudibus*
et quorum virtus exhibet solidum decus.

---

[1] mihi aliter ac Schmalzio duo modi ad unum redigendi esse vident qui modus anacoluthi instar est. Scriptor prorsus oblitus se a pronomi relativo coepisse pergit, quasi enuntiatum principale sit.

[2] addere mihi liceat exemplum Catulli, de quo unus Baehrensius rec iudicavit, exempla non addidit:

10,12 *praesertim quibus esset irrumator*
praetor nec faceret pili cohortem

Ibi constructio non est talis qualis apud Phaedrum ex. gr. I 22,10—12; su iectum coli alterius minime est *qui* quoddam ex *quibus* supplendum (sic E lisius et Rieseus), sed *praetor.*

[3] quod post v. 9. quoque interpunctio deest, mihi non probatur. Edit significare velle videtur verba *nobilis comoediis quas* — *viri* in parenth esse. Sed *nobilis comoediis* in narratione desideratur; ignoramus, de q Menandro agatur. Parenthesi nihil continetur nisi *quas* — *viri,* i. e. vers 10. et 11.; *nobilis comoediis* Menander esset, etiamsi Demetrius eas numqua legisset.

[4] similiter post I 22,11 comma posuit, post II ep 16 omisit, quam rat nem Govius imitatus est.

[5] num etiam A 28,4 in codice N olim fuit *ii qui* (in V est *illi qu* Iannellius enim ante *i qui* non plus unam litteram non legit atque hac causa emendavit ⟨*h*⟩*i qui se iactant* ⟨*de*⟩ *verborum copia.*

Vita

Alfredi Henrici Guilelmi Tacke.

Natus sum Berolini die 20. mensis Ianuarii anni 1889. patre Alfredo, matre Anna e gente Gloeckner, qui parentes mitissimi utinam mihi diu incolumes serventur. Fidem confiteor evangelicam. Berolini primum per 3 annos elementa didici in ludo, qui vocatur ***Koenigliche Vorschule*** tum per 9 Gymnasii Friderico-Guilelmi Regii discipulus fui, extremum per 4 inde a vere anni 1907. in alma matre Friderico-Guilelma studiis cum aliis tum philologis me dedi docentibus viris illustribus hisce: comite de Baudissin, LBernhard, Delitzsch, Dessoir, HDiels, Drescher, Geiger, Harnack, Helm (nunc Rostochiensi), Hertwig, Kawerau, IKirchner, Kleinert, Lasson, Lehmann-Haupt (nunc Liverpoolensi), Mahling, EdMeyer, RMMeyer, Muench, EdNorden, Preuner, Riehl, Roethe, Runze, ESchmidt, Schmoller, GuilSchulze, Seeberg, Simons, Spranger, Vahlen, Ad Wagner, BernhWeiß, GWentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Wilbrandt (nunc Tubigensi), Woelfflin. Ad exercitationes historicas EdMeyer me benigne admisit, ad archaeologicas epigraphicasque Preuner. Praeterea proseminarii philologi inferioris sodalis fui per annum, deinde examine superato in cursum superiorem receptus post 3 semestria sodalis ordinarius seminarii regii factus sum, ubi exercitationibus a Joanne Vahlen, Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, Hermanno Diels, Eduardo Norden habitis interfui, per annum munere senioris et bibliothecarii functus.

Magistris meis quid debeam omnibus neque ignoro neque ignorabo, maximam vero gratiam habeo Nordeno, qui cum haud parva erga me humanitate usus sit tum exercitationibus de Phaedro habitis animum meum has ad fabulas converterit.

Examen rigorosum cum laude sustinui die 20. mensis Iulii anni 1911.